





*1720 - 30a 9.*  
DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**FATUITATE**  
**BROCARDICI**  
**VULGARIS,**  
**CAUSA FATUA**  
**EXCUSAT A DOLO,**

*Quam*

*IN REGIA FRIDERICIANA*  
SUB PRÆSIDIO

**DN. CHRISTIANI THOMASI**,  
JCTI, S. REG. MAJ. BORUSS. CONSILIARII INTIMI,  
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ DIRECTORIS, PROFESSORIS  
JURIS PRIMARII, AC FACULTATIS JURIDICÆ  
PRÆSIDIS ORDINARI,

**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA CONSEQUENDI,  
AD D. XX. NOVEMBR. MDCCXX.  
HORIS LOCOQUE CONVENTIS  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET  
**IOANNES FRIDERICUS BIECK,**  
HALA-MAGDEBURGICUS.

*1720*  
HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITTERIS SALFELDIANIS.

R  
BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS HEDERICA

E  
PROGREGAT  
AUTA  
EXQUATADOL

COLLEGIUM HONORIS  
ACADEMIAE

PROLIFERICUM  
HOMERAS

IOANNES FIDERICUS HEDERICUS

Q. D. B. V.  
DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
**FATUITATE BROCARDICI**  
VULGARIS  
CAUSA FATUA EXCUSAT  
A DOLO.

Caput I.

**ORIGO ET USUS BRO-  
CARDICORUM.**

§. I.



Urchardicum s. brocardicum voca- *Brocardica*  
bulum barbarum & latinis homini- *unde deri-*  
bus incognitum natales suos debet *ventur.*

Burchardo Episcopo Wormaciensi.  
Floruit Burchardus (quem Itali Bro-  
cardum nominant) Henrici IV Ba-

vari Imperatoris temporibus, & di-  
fante ac magistrante Olberto, Abbe Gemblacensi, ex  
Conciliorum monumentis, Patrum scriptis & Pontificum  
decretis opus compilavit, libros XX continens, Colo-  
niae 1548. & Parisiis 1550. editum, in quo jus per cano-  
nes dispersum secundum ordinem materiarum distribuit,  
& ad breves ac generales regulas revocavit. v. Stephan.

Baluz, *Pref: ad A. Augustin: Emendat: §. 18. Strauchii A-*

A

*mani-*

mænitat: *Juris Canon: Eclog I.c. 6.* Schilteri *Institut: Juris Canon: L. I. tit. 2, §. 10.* Hæ regulæ ab auctore dictæ sunt Burchardica, vel si ex Gallis atque Italies plerosque audias Brocarda seu brocardica. Arrisit vero Dd. hæc denominatio, regulis à Burchardo concinnatis propria, & ita placuit, ut postea eas, quas ex variis jurium Legumque hypothesibus composuerunt regulas, Burchardica s. Brocardica appellaverint. Sic DAMASUS veteris juris Ecclesiastici Canonicique Doctor regulas canonicas, quas collegit, inscripsit BURCHARDICA, quæ à Petro Salino Aquilio recognita & ex manuscriptis exemplaribus prolata sunt Colon. 1564. Azo eas, quas ex jure concinnavit regulas nominavit BROCARDICA, quæ primum edidit Caspar Hervagius, Basil. 1567. Ex recentioribus vero JOHANNES KAUFFERUS, QUIRINUS CUBACHIUS, Joh. OTTO TABOR, JOHANNES BENEDICTUS SCHARTOW eas, quas partim congesserunt, partim illustrarunt juris regulas, adpellaverunt BROCARDICA.

## §. II.

*Brocardico-  
rum descri-  
ptio & re-  
quisita.* Sunt vero Brocardica Juris Theses breves, perspicuæ & generales ex Jurium Legumque hypothesibus ac Interpretum opinionibus à Doctoribus dœductæ & variis exceptionibus, limitationibus, ampliationibus declaratae. Dixi brocardica esse *theses*, puto enim hoc verbum optimè negotio, quod describo, convenire; Quemadmodum enim per thesin generaliter & indeterminate aliquid assertur, ita quoque regula vel brocardicum juris rem, quæ est, breviter enarrat, & jus in legibus fusius propositum vel per diversas species usurpatum succinctè exhibit. Hinc brocardica *juris*

ris nominari possunt definitiones, positiones, regulæ, rece-  
ptæ sententiae, præcepta, enunciata, principia, aphorismi,  
axiomata, canones, dogmata, προτυμα, ὅραι, maximæ &c.  
Addidi vero, Brocardica esse theses breves, perspicinas, ge-  
nemtas ex jure deducetas; Hæc enim verba propo-  
nunt requisita brocardicorum juris, inter quæ primum  
occupat locum brevitas; ita infero ex L. i. D. de R. J. in  
Qua JCtus regulam juris nominat brevem rerum nar-  
rationem & causæ conjectioni cum Sabino comparat; nec  
malè, sicuti enim Oratores per causæ conjectionem, con-  
troversia in judicium deducetæ argumentum & statum  
omniaque litigatoris jura breviter & per indicem judi-  
ci, antequam causa penitus ageretur, exponere solebant,  
(V. Wissenbach & quois allegat in Commentar: ad L. i. conf. Godofredus ad  
D. de R. J.) ita JCtus, qui regulam juris compo-  
nit, complura Juris, legum, constitutionum, deci-  
sionum, opinionum &c. capita in unam quasi sum-  
mam contrahit breviterque enarrat. Quoniam ve-  
ro perspicuitas est virtus narrationis primaria, cum per  
eam alios doceamus, quid in controversia sit, fluit exinde  
secundum brocardicorum requisitum esse perspicuita-  
tem, quam JCtus in all. L. i. verbis regulam esse brevem re-  
rum narrationem commendat atque inculcat (V. Gothofro  
in not. ad h. L.) Tertium brocardicorum requisitum pro-  
ponitur in alio Doctorum Brocardico: Regula debet esse  
generalis & omnia comprehendere. (V. Cubach. Brocardica  
Cap. 2. p. 5. & 6. ubi hoc brocardicum explicat & exem-  
plis illustrat) Denique brocardica ex jure debent esse de-  
ducetas. Audias JCtum in L. i. D. de R. J. ubi dicit Regula  
est: que rem, que est breviter enarrat, intelligit vero per  
rem, jus, quod de rebus, negotiis ac factis humanis con-

stitutum est. Hic enim loquendi modus JCtis Romanis haud fuit infrequens, similemque invenio in L. 10. D. de Jus. & Jur. in qua Ulpianus Jurisprudentiam definit: Notitiam rerum h. e. Cognitionem juris, quod de rebus constituerunt legislatores. Alia exempla non allego, ipse enim JCtus in subsequentibus L. 1. verbis hoc explicat, dicens: *non ut ex regula jus sumatur, h. e. Regula novum jus non introducit, sed ex jure, quod est regula fiat.* h. e. Omnis regula ex jure deducitur. Jus itaque scriptum sive non scriptum est fundamentum atque materia, ex qua Doctores regulas juris s. brocardica componuerunt, varia juris unam rem factumque concernentia capita perspicue & succincte enarrando, eaque in breves theses conjiciendo, ita tamen, ut has theses pro diversitate circumstantiarum atque jurium partim variis ampliationibus extenderint, partim diversis limitationibus ac exceptionibus restrinxerint, ita ut nulla fere regula tam firma sit, quae suas non patiatur exceptions, limitationes, imo aliquando regula plures exceptions habeat, quam exempla consentanea, V. Barbosæ Axiomat. L. 16. C. 22. Ax. 2.

## §. III.

*Brocardico-  
rum seu re-  
gularum ju-  
ris origo*

Monui brocardica juris partim ex jure scripto par-  
tim ex jure non scripto à Dd esse fabricata, quod ut  
melius intelligatur, prima brocardicorum seu regula-  
rum juris initia & progressum breviter exponam. Attri-  
buo vero harum originem ICtis Romanis. Leges 12. Tab.  
erant perbreves atque obscuræ. (V. A. Gell. Noct: Att: L.  
16. c. 10. & L. 20. c. 1.) ita ut omnibus controversiis defi-  
nien-

niendis non sufficerent, & multa in foro Romano inconvenientia progenerarent, ideo cœpit, ut interpretatio desideraret Prudentum auctoritatem, necessariaque esset disputatio fori L. 2. §. 5. D. de O. J. Decemviratu enim everso Jurisperiti has leges populo interpretabantur, fori disputationem introducebant, ac in magistratum auditoriis cognitionibusque harum legum capita diligenter ponderabant, rationum momenta sedulo examinabant, inter se conferebant & quid judicando sequendum esset, conjiciebant *Vid: Eberlin, de Orig: Jur: c. VI. n. 2. §. 3.*) Quemadmodum vero multæ ex his Prudentum Interpretationibus atque opinionibus adprobatae, receptæ & communis nomine *ius civile* appellatae sunt, *L. 2. §. 5. D. de O. J.* ita Veteres Prudentes primaria hujus juris capita ex ratione *infra* §. 8. ulterius deducenda ad breves theses revocarunt, & ex jure tam constituto, quam tacito consensu introducto regulas concinnarunt, quas ex jure in foro receptas collegit & publici juris fecit vir doctissimus *Q. Murius Scævola*. Scripsit enim librum singularēm, i. e. Sententiarum, Regularum seu Definitiōnum, ac libros juris civilis *XIX*, quibus *ius civile* in artem rededit *L. 2. §. 41. D. de O. J.* & tam veterum Prudentum regulas proposuit, quam alias, quas ipse ex jure constituto duxerat atque concinnaverat definitiones, exhibuit. (*V. L. 3. pr. D. de Penni leg: L. 19. §. 9. & L. 27. pr. D. de auro arg. legat.*) Primus fuit Scævola, qui hoc tentavit, opus itaque quod compositum haud fuit omnibus numeris absolutum, subsequentium vero JCtorum industria id, quod diffusum adhuc erat atque dissipatum in ordinem rededit, inter quos primum attribuo locum *SERVIO SULPITIO RUFO*, qui Scævolam arte componendi regulas su-

peravit, [V. Ciceron: *in Bruto*] & notas in ejusdem libros conscripsit [v. L. 30. D. *Pro Socio*. L. 3. §. 6. de Pen. Legat.] quæ reprehensa Scævolæ capita nominantur v. A. Gell. Noct. Att. L. 4. Cap. 1. Notis postea Q. Muty Scævolæ scripta illustravit SEXRUS POMPONIUS, scripsit enim libros XXXIX. Lectiōnum ad Q. Mutium Scævolam, quibus regulas à Scævola traditas vel rationibus firmavit, vel exemplis illustravit, vel virtutia earum regularum subnotavit, eisque alias regulas adjecit, de quarum numero sunt eæ, quas Tribonianus titula D. de R. J. L. 203. seq. inseruit. V. Gothofr. in Comm. add. Tit. p. 783.

## §. IV.

Q. Mutio Scævolæ & Servio Sulpitio Rufo adjungo MASURIUM SABINUM, virum maximæ in jure constituedo auctoritatis & Sectæ Sabinianæ auctorem. Hic libris III. de jure civili definitiones regulasque juris antiqui in unum contulit, ad quos Ulpianus, Paulus, Pompionius notas scripserunt. \* Horum exempla secuti sunt alii, qui partim regulas veterum Prudentum collegerunt, partim ex jure constituto alias concinnarunt, collectas vero atque concinnatas juris regulas rationibus confirmarunt, exemplis illustrarunt, exceptionibus declararunt. Ex his NERATIUS PRISCUS scripsit libros XV Regularum. (a) TITUS GAJUS vel CAJUS edidit libros III Regularum (b) & Librum singularem Regularum, (c) SEXRUS POMPONIUS composuit librum singularem Regularum, (d) quem notis illustravit Marcellus (e) Q. SERVIDIUS SCÆVOLA conscripsit libros IV Regularum. (f) L. ÆMILIUS PAPINIANUS confecit libros II Definitionum. (g) ÆLIUS MARTIANUS congesit libros V Regularum.

Masury Sabini & aliorum J. Ctorum Romanorum studiū min colligendis concinnandis que regulis juris.

larum. (h) DOMITIUS ULPIANUS contexuit libros VII.  
 (i) & librum singularem Regularum. (k) JULIUS PAU-  
 LUS perfecit libros VII (l) & unum singularem Regula-  
 rum, (m) quibus adde libros V sententiarum receptarum.  
 LICINIUS RUFINUS collegit libros XIII. (n) HERENNUS  
 MODESTINUS concinnavit libros X Regularum. (o) Ut a-  
 lios, qui libros, quos de jure civili scripserunt variis re-  
 gulis exornarunt, alto præteream silentio.

(\*) *V. Inscript. L. 2.5. 7. & seqq. D. de R. J.*

(a) *Vid. Indicem Justinianorum & Inscriptiōnēm L. 18. D. de Tuteis*

*L. 13. D. de A. R. D. L. 118. D. de Legat. i.*

(b) *V. L. 100. D. de R. J. & L. 43. D. de Injur.*

(c) *V. Inscript. L. 21. D. de Adoption:*

(d) *V. Inscript. L. 16. D. Qui testament. fac.*

(e) *V. Inscript. L. 63. D. de Adq. l. Om: hereditat:*

(f) *V. Inscript. L. 8. D. de testib.*

(g) *V. Inscript. L. 34. D. de hered. infit. L. 7. D. de Inf.*  
*& jur.*

(h) *V. Inscript. L. 58. D. de R. N. & L. 31. & 33. D. adoption:*

(i) *V. Inscript. L. 43. D. de Usufruct:*

(k) *V. Inscript. L. 17. D. de testibus & L. 25. D. de oblig. & aet:*

(l) *V. Indicem Justinian: & Inscript. L. 9. & 22. D. ad SC: Velleit:*

(m) *V. Inscript. L. 9. D. de Manumiss:*

(n) *V. Inscript. L. 34. D. de Re Judicat:*

(o) *V. Indicem Justinianum & L. 52. D. de Usufr*

### §. V.

Tandem TRIBONIANUS ejusque adjuvæ partim ex Tribonianis adductis regularum collectionibus, partim ex aliis Veterum Prudentum libris breviarium regularum juris antiqui compilarunt, & Pandectis adjecerunt. Exhibit illud farraginem sententiarum seu regularum absque ullo ordine dispositarum, methodum accuratam & per-  
 petu-

petuam materiarum seriem in ea frustra quæris, multas regulas non recte conceptas, (p) alias in duas partes pesime discerptas, (q) alias alio sensu, quam quo ipsi JCTi eas primum tradiderunt à Triboniano propositas, (r) alias interpolatas, (s) fugitivas, (t) repetitas, (u) concordantes (x) offendis. Desiderantur in hac collectione multæ regulæ à collectoribus omisæ, (y) & conjectæ sunt in eam aliae leges, quæ Regulæ nominari haud possunt; Invenies enim definitiones, (z) divisiones, (aa) tractatus integros, (bb) nudas antitheses. (cc) Plura non addo. (dd) Tu vero ex adductis judica: annon hoc regularum compendium in compendio exhibeat omnes nævos omniaque vitia, quæ alias à solidæ jurisprudentiæ Doctoribus Pandectis objici solent.

(p) Exemplum suppeditat Lex 73. D. de R. J. quo tutela reddit, eo hereditas pervenit. Quoniam v. tutela legitima propter hereditatem defertur L. 3. pr. D. de Legit. Tut. lege potius: *Eo tutela reddit, quo hereditas pervenit.* Aliud repertorius in L. 52. de R. J. Non defendere videtur non tantum qui latitat, sed & qui præsens negat se defendere, aut non vult suscipere actionem. Petrus Faber in his verbis ὑστερούσιαν notavit & ita legit. Non defendere videtur non tantum is, qui præsens negat se defendere aut non vult suscipere actionem, (qui recusat ac detrectat judicium) sed & is, qui latitat sive copiam non facit. V. Wissenbach: ad h. t.

(q) V. Leg. 43. 124. & 172. D. de R. J. ibique Gothofred: in Comment.

(r) V. L. 72. L. 103 & 183. D. de R. J. & Gothofred: in Comment. ad d. LL.

(s) V. L. 77. D. de R. J. & Wissenbach: in Emblemata: p. 418.

(t) ad quas referunt L. 28. 101. & 191. D. de R. J.

(u) Sic

- (u) Sic Regula in L. 129. §. 1. D. de R. I. proposita iisdem verbis  
repetitur in L. 178. d. T.
- (x) Sic Regula: impossibilium nullam esse obligationem  
tribus proponitur legibus, nempe L. 135. 185. 188. §. 1. D. de R. I.  
Doctrinam de modo tollendi obligationem exhibent L. 35.  
109. & 153. d. T. & Regulam L. 59. heredem ejusdem potestatis  
jurisque esse, cuius fuit defunctus, repetunt L. 54. 62.  
120. 128. §. 1. L. 143. 156. §. 2. L. 160. §. ult. D. de R. I.
- (y) Harum catalogum exhibent Cujacius, Wissenbach alii-  
que, qui in Tit. de R. I. commentati sunt.
- (z) V. L. 1. 62. 65. 82. D. de R. I.
- (aa) L. 152. pr. D. de R. I. proponit divisionem vis in publicam &  
privatam.
- (bb) vid. L. 23. D. de R. I.
- (cc) vid. L. 16. & 159. D. de R. I.
- (dd) V. Praefationem, quam Jacobus Gothofredus præmisit  
*Commentario in Tit. D. de R. I.*

## §. VI.

Pergo ad primos Juris Justiniane Interpretes. Hi *Glossatorum*  
erant homines, subsidiis ad explicandas Leges necessariis & primorum  
destituti; Leges itaque ex genuinis Jurisprudentiaæ fonti-juris Inter-  
bus non interpretabantur, sed harum contenta breviter *præsum* *stut-*  
*enarrabant*, casus sæpe ridiculos formabant, formatos *dum in collig-*  
*decidebant*, & regulas generales ex legibus legumque *gendas regu-*  
*rationibus deducebant*, quibus ex aliis Legibus amplia-  
tiones, limitationes, exceptiones subjiciebant. Probant  
hoc Azonis Generalia seu Brocardica juris, miræque pri-  
morum Interpretum Summæ atque *Glossæ*, quas in or-  
dinem redegit Accursius. Placuit Glossatorum institu-  
tum subsequentibus Legum Interpretibus, ita, ut eandem  
methodum in Juris Romani atque Pontificii explicatio-  
ne observaverint & tam ex jure Romano ac Canonico,

B

quam

quām ex Glossatorum in ea commentis regulas concinnaverint, quas partim commentariis in Digesta & Codicem aliisque libris inseruerunt, ut Bartolus, Baldus, Jafon, Salicetus, & alii, partim specialibus libris proposuerunt, ex quibus adduco ANTONII CORSETI, Siculi, Regulas juris, BARTHOLOMÆI SOCINI, Senensis, Regulas & fallen-tias juris, quas BENEDICTUS VADUS revidit, emendavit & additionibus illustravit Colon. 1592. JOHAN. BERNH. DIAZ DE LUO Hispani, Calaguritani & Calciatensis Episcopi Libr. de Regulis Juris cum suis ampliationibus Lugd. 1564. PETRI A DUENAS Salmaticensis Academiæ Doctoris, Regularum utriusque juris cum ampliationibus ac limitationibus Libros IV. Venet. 1563. BENEDICTI DE BENEDICTIS DE CAPRA Conclusionum, Regularum, Tractatum & communium opinionum Volumen Venet. 1568. JOHANNIS DONATI A FINA Enchiridion Conclusionum & Regularum utriusque Juris Venet. 1573. JACOBI NOVELLI Regulas Juris tam Civilis quam Canonici cum suis ampliationibus, limitationibus & fallentiis Venet. 1572. ANTONII GABRIELII, Romani Communes Conclusiones Venet. 1574. HIERON. FRANCI Tract. de Regulis Juris, Basil. 1582. JOHAN. BAPTISTÆ NICOLAI Regula-rum Juris tam Civilis quam Pontificii cum suis ampliationibus, limitationibus & fallentiis Tom. II. Ffurt. 1586. CL. PRATEJI Regulas juris generales Lugd. 1589. JOH. KAUFFERI Regulas brocardicas juris Basil. 1584. Ex quibus postea multi conjunctim editi Venet. 1572. Lugd. 1579. His ANDREÆ TIRAQVELLI, PROSPERI FARINACHI, ALDERANI MASCARDI, PAULI FUSCI, DOMINICI TU-SCHI, JOH. BAPTISTÆ A VILLALOBAS, HIPPOLYTI Bo-NACOSSIÆ, NICOLAI VIGELII, & aliorum opera addas, quæ

quæ Regulas, Brocardica, Conclusiones ex Legibus Romanis, jure Canonico, Glossatorum dictis, Doctorum opinionibus, compositas & innumeris ampliationibus, limitationibus, sublimitationibus, fallentis, exceptionibus, restrictionibus, declarationibus exornatas exhibent.

## §. VII.

Reprobarunt nimium brocardica regulasque juris col-  
ligendi studium Balduinus, (ee) Duarenus, (ff) <sup>Studium</sup> brocardico.  
Cujacius (gg) aliique. Verum enim vero furdis nar-  
rabatur fabula, præjudicium enim auctoritatis ita obcæ-  
caverat Doctores, ut Glossatorum & aliorum Juris In-  
terpretum vestigiis insistentes, præter eas, quas modo  
adduxi Regularum collectiones, multos axiomatum, Re-  
gularum, Brocardicorum Juris libros ex Legibus, Glossæ  
& aliorum Jurisperitorum scriptis collegerint, colle-  
ctos vero eruditio orbi ac Legum cultoribus cum maxi-  
mo Jurisprudentiæ damno obtruferint. Huc pertinent  
THOMÆ A THOMASETTIS J. U. D. & Archipresbyteri  
Mestrensis Flores LL. cum suis exceptionibus ac decla-  
rationibus, QUIRINI CUBACHI, Historiarum ac Poë-  
seos Professoris Jenensis Brocardicorum Doctorum Li-  
ber generalis Jenæ 1616. AUGUSTINI BARBOSÆ, Proto-  
Notarii Apostolici Thesaurus locorum communium Ju-  
risprudentiæ per axiomata deductus & ex analectis JOH.  
OTTONIS TABORIS emendatior editus cura Tobiæ Ot-  
tonis Taboris Argent: 1670 & postea Samuelis Strykii  
Lipf. 1690. PETRI GUDELINI JCti & in Academia Lova-  
niensi Antecessoris Syntagma Regularum Juris utriusque  
Antwerp. 1646. CHRISTOPHORI PHILIPPI RICHTERI JCti  
Jenensis Centuriæ Regularum Juris cum commentariis

Ienæ 1661. HENRICI ERNESTI KESTNERI Memoriale juridicum s. Axiomata Juris præstantiora Rintelii 1715. IOHAN. BENEDICTI SCHARTOW Medulla Iuris Iustiniane & Feudalis, sive Brocardica & Regulæ juridicæ, Lips. 1715. GOTHFREDI BOENIGKS Iurisprudentia civilis axiomatico-caſuistica, Halæ 1719. Quibus adde eos Doctores, qui compendia, systemata aliasque synopticas Juris tractationes, quas ediderunt, axiomatibus, regulis, brocardis exornarunt, quos non adduco, cum hi libri in omnium manibus fint.

(ee) Balduni locum adduxit Anton. Matthæi in Colleg. Fundator. Juris Diffut, 1. n. 54. Magni ingenii & artis, inquit Baldinus, in docendo esse creditur, ex singulis Pandectarum thematibus atque adeo hypotesibus regulam aliquam generalem elicere. Ego vero valde vereor, ne hac interpretum audacia potius, quam ars ingeniosa jurisprudentiam pene totam corruperit.

(ff) Adpono verba Duareni ex Comm. ad L. 1. §. 4. D. de V. O. Non eo id dico, quod has theses omnino contemnam, sed quod in iis colligendis ac tradendis modum adhiberi velim, quem in Scholasticis Dd. à quibus corrupta est mirum in modum his nugis ac prope deleta jurisprudentia, desidero.

(gg) Audias Cujacium, qui in Papiniano ad L. 4. D. de Usuris monet: Cavendum est semper à regulis juris, quoniam omnes sunt periculoſe, omnes vitium faciunt aliquod aliquando. Quibus addo ea, quæ in Dedicat. Consultationum dicit: Ne sorderent mea Doctorum dielis vulgaribus, vel, ut loquuntur, brocardicis, quæ sibi ut essent sua prudentiæ, quam juris scientia videntant, falso nomine fundamenta fabrefecerunt, me reperies caſisse summopere.

### §. VIII.

*Uſus regulæ. rum juris.* Præcipuum tam veterum Prudentum, quam Legum Interpretum in componendis colligendisque regulis juris tuſſe studium, ea, quæ dixi, demonstrant eviden-

dentissimè, an vero nimius hic regulas concinnandi pruritus jurisprudentiæ nostræ magnam attulerit utilitatem, valde dubito, assero potius, intempestivum regulas colligendi studium maximum ei conciliasse damnum, summaque juris incertitudinem introduxisse. Evincit hoc non solum ratio, qua commoti veteres Prudentes regulas juris composuerunt, sed & natura atque indoles harum thesium. Quod ad primam attinet, putant quidem Doctores, regulas à veteribus Prudentibus eum in finem esse excogitas, ut facilior æquitatis ac juris civilis sit cognitio. *Vid. Hotomanni Obs. L. 2. c. 18.* Verum enim vero primarium veterum Prudentum in compunctionis regulis scopum fuisse, ut majorem juris introducerent incertitudinem, affirmare non dubito. *Netum* est, gravissima inter Patricios ac plebem Romanam post ejectos reges orta fuisse dissidia, quæ cum indies magis magisque crescerent, Patres omnem lapidem moverunt, ut perpetuas discordias atque dissensiones inter plebem excitarent, eamque infinitis litibus defatigarent, *Vid. Dn. Præfid. Navor. Jurisprud. L. 1. c. 2. & 3.* Quemadmodum vero jus incertum lites protrahit, ita Patres inter alias technas, quibus ad scopum suum obtinendum utebantur, occasione LL. 12. Tabb. fori disputationem & per fori disputationem summam juris incertitudinem introduxerunt. Quoniam autem multæ ex Prudentum opinionibus postea adprobatae & receptæ fuerant, Prudentes, ne juris incertitudo cessaret, ex his aliquaque constitutis juris breves theses seu regulas concinnarunt, concinnatas tam studium juris ingredientibus, quam in foro versantibus proposuerunt, & pedetentim in forum introduxerunt. Prudentum intentio successu non caruit, do-

*Regulae veterum Prudentum juris incertitudinem augent.*

cuitque eventus, has regulas multarum controversiarum  
litiumque ansam dedisse, summamque juris incertitudi-  
nem introduxisse.

## §. IX.

*Difficile est  
aliquid in  
universum  
definire,*

Quod ut melius probem, naturam & indolem Regu-  
larum juris difficillimamque earum ad casus propositos  
applicationem ex sententia veterum JCTorum paucis ex-  
ponam. Observarunt Neratius in specie L. 15. D. de im-  
pens. in res dotal. fact. Scævola in specie L. 14. D. de divers.  
temp. prescript. Marcianus ex Pomponio in specie L. 32.  
D. de Usur. Callistratus cum Imperatore in L. 3. §. 2. D.  
de Test. difficillimum esse aliquid in universum definire,  
nec absque ratione, cum ex L. 52. §. 2. D. ad L. Aquil. no-  
tum sit: jus in causa positum esse, seu, ut in L. 1. §. 3. D. ad  
L. Corn. de Sicar. dicitur: jus ex re constituentum esse.  
Exinde concludo: quamlibet regulam per minimam fa-  
cti circumstantiam labefactari posse, & nullam regulam  
tam firmam esse, quæ suas non patiatur exceptiones.  
Quam ob causam JCTi Romani non solum regulis suis  
exceptiones sæpe nominatim addiderunt, v. L. 17. & 73. D.  
de R. I. & in iis concipiendis verbis taxativis plerumque,  
ferè &c. quandoque usi sunt, v. L. 86. 108. 153. 156. §. 3. L. 178.  
193. 205. 208. D. de R. I. sed & sæpiissime regulas juris gene-  
rales ab aliis concinnatas restrinxerunt, easque in qui-  
busdam falsas, in omnibus non veras neque perpetuas  
esse pronuntiârunt. Sic Celsus in L. 1. D. de Reg. Caton, di-  
cit: *Hæc definitio (regula scilicet Catonianæ) in quibusdam  
falsa est*, casusque, in quibus locum non habet, subjicit;  
& Ulpianus in L. 4. & 5. D. eod: *Placet Catonianam regu-  
lam ad conditionales institutiones & ad novas leges non  
pertinere.* Aliud exemplum allego ex L. 140. §. 2. D. de  
V. O.

V. o. ubi Paulus proponit regulam: OBLIGATIONEM EXTINGUI, SI IN EUM CASUM INCIDERIT, A QUO INCIPERE NON POTEST, & addit: *Hoc in omnibus verum non esse.* Huic addo textum ex libro 3. Regularum Marciani in L. 40. de Condict. indeb. ubi monet Regulam: QUI EXCEPTIONEM PERPETUAM HABET SOLUTUM PER ERROREM REPERTERE POTEST, non esse perpetuam. Alia exempla suppeditant L. 16. D. qui testamenta facere poss. (ubi Marcellus notat regulam à Pomponio traditam) L. penult. D. de A. R. D. L. 95. §. 3. D. de Solut. & L. 11. D. pro Emptor.

## §. X.

Observo porro: multa singularia contra regulas iuris ex aequitate constituta, multasque regulas, quarum non sunt frequens in Pandectis fit mentio, per contrariam con-suetudinem apud Romanos abrogatas fuisse. Audias Julianum: *Multa jure civili* (apud Romanos per consue-tudinem vel legem contrariam) *contra rationem dispu-tandi* (seu contra jus per disputationes fori introductum & ex eo formatas regulas juris) *pro utilitate communire cepta esse, innumerabilibus rebus probari potest.* Asserti veritatem exemplo confirmavit, *vid. L. 51. §. 2. D. ad L. Aquil. Addam alia. In L. 2. D. de R. N.* proponitur regula: NUPTRIÆ CONSISTERE NON POSSUNT, NISI CONSENTIANT OMNES: i. e. qui coeunt, quorumque in potestate sunt; Usus hujus regulæ apud Romanos fuisse magnum, docent L. 11. D. de statu bominum L. 18. D. de R. N. & aliæ, hujus tamen vim ac potestatem per contrariam constitutionem solutam esse, appareat ex L. 1. S. ult. D. de Liber. Exhib. ubi Ulpianus dicit: *Et cer-*

*Diffole  
aliquid  
etiam  
difficile*

to jure utimur, ne bene concordantia matrimonia jure patrie potestatis turbentur; idque per Constitutionem D. Martini, cuius mentio fit in L. 5. C. de Repudis. vid. Cl. Noodt de Usufruct: L. 1. C. 8. in fin. Regula est: CERTÆ REI VEL CAUSÆ TUTOR DARI NON PO TEST; ita Ulpianus in L. 12. D. de testam. tut. & ex eo Justinianus in §. 4. 3. Qui test. tutor. dari poss: ratio est, quia personæ non rei vel causæ tutor datur L. 14. D. de testament. tutel. Hanc verò regulam per contrariam consuetudinem immutatam esse, docet non solum Hermogenianus L. 27. D. de Tutor: datis ab hi &c. sed & Ulpianus L. 15. D. de testamentar. tutela, (qua cum adducta L. 12. ex Libr. 38. ad Sabinum desumpta est) ubi dicit: *Si tamen tutor detur rei Africana vel rei Syriatica utilis datio est: Hoc enim jure utimur.* Adjiciam quædam exempla ex materia de servitutibus. Paulus in L. 28. D. de S. P. U. proponit regulam: QUOD OMNES PRÆDIORUM SERVITUTES CAUSAM HABERE DEBEANT PERPETUAM, concludit exinde: aquæ ductum neque ex lacu neque ex stagno concedi posse, quoniam vero contraria consuetudine aliud erat receptum, hinc in L. 9. D. de S. P. R. regulam proponit & addit: eam per contrariam consuetudinem immutatam esse; *Servitus, inquit, aquæducenda, vel baurienda, nisi ex capite, vel ex fonte, constitui non potest: bodie tamen ex quoconque loco constitui solet.* Idem fere dicit Ulpianus in L. 2. D. Communia Pred. v. Cujac. Obs. L. 3. C. 28. Regulam ex L. Scribonia deductam sistit Paulus L. 14. de Servitut. vi cuius SERVITUTES PRÆDIORUM RUSTICORUM ETIAM SI CORPORIBUS ACCEDUNT, USUCAPI NON POSSUNT. Docet vero Ulpianus in L. 10. de Usurpat. *E* *Usu-*

*Ufucap.* rigorem hujus regulæ per consuetudinem esse immutatum, quoniam servitutes cum ædificiis h. e. quæ ædificiis inhærent, usucapi possunt, *boc jure utimur*, dicit l. c. *ut servitutes per se nusquam longo tempore capi possint*, cum ædificiis possint; ut taceam, hanc regulam per Constitutionem Iustiniani abrogatam esse, *v. L. ult. in f. C. de long. tempor. prescript. L. un. C. de ufucap. transf.* Plura exempla ex materia de Servitutibus adponere possem, v.g. Regulam in *L. 8. D. de Servitut.* propositam per contrariam consuetudinem esse imminutam *vid. L. i. §. 3. D. de aqua quotid. & astiv. L. 8. §. 1. D.* *Si servitus vindic.* adduxit vero ea *Cl. Noodt in Probabil. Jur.* *L. i. c. 2. & 3.* Ubi non solum observavit, formulam veterum JCtorum *Hoc jure utimur*, notare: aliquid consuetudine receptum esse contra regulas juris, sed etiam docuit, regulam juris sæpe uno loco ponit, alio vero consuetudinem, regulæ adversantem, allegari, nulla facta mentione regulæ vel consuetudinis. Adde ea, quæ dixit *L. 2. Obser. Cap. 27. & Tr. de Paetis ac Transact.* *Cap. 8. & 12.*

## §. XI.

Quemadmodum vero regulæ juris sunt perbre-  
ves, ambiguae, & sæpe obscuræ, nec semper pateat, quam regularum  
rem regula sub se comprehendat, quodve negotium ei *juris est dif-*  
*subjiciendum sit; ita ex dictis fluit, difficillimam esse regu-*  
*larum ad factum applicationem verumque effatum Celsi*  
*in L. 91. §. 3. D. de V.O.* *Sub auctoritate juris scientie sæpe perni-*  
*ciosè erratur.* Intelligit vero per auctoritatem juris scientie  
regulas juris, quia Regulæ veterum Prudentum tam à  
JCtis, quam Imperatoribus Romanis communiter adpel-  
lari solent auctoritates juris. Sic Papinianus in *L. 36. D. de*  
*Statulibet.* regulam juris nominat juris auctoritatem; Sic  
Imperatores in *L. ult. C. de accusat.* & *Inscript.* provocant ad

C

ve-

veteris juris auctoritatem h. e. ad Regulam à Modestino L. 16. §. 1. de Tortur. & à Paulo L. 1. Sententiarum Tit. II. §. ult. propositam, vi cuius is, qui de se confessus est, in alium torqueri non potest. Sic in L. 3. C. de legitim. Tutel. dicitur: quod antiqui juris auctoritas, (qua salva manente agnationis jure tam consanguineus h. e. frater, quam Patruus cæterique legitimi ad pupillarum sceminarum tutelam vocantur,) per Constitutionem Constantini sublata lege Claudia, (quæ eam abrogaverat) renovata atque introducta sit. Nec absque causa Regulæ Veterum Prudentum auctoritates Juris nominantur, cum Jcti plus semel juris auctores atque conditores dicantur, L. 17. D. de J. Patron. L. 23. C. de Procur. & Justinianus Salvium Julianum nominet summum auctorem juris scientie L. 15. C. de Usufr. Verissimum autem est Celsi effatum, quod non solum in quæstione de bono & æquo, (de qua Jctus loquitur) sed in aliis negotiis locum habere debet. Hanc ob causam primarium Veterum Prudentum studium fuit in explicandis, illustrandis, & aptandis Juris regulis ad justam casuum propositorum decisionem, de quo L. 1. §. 16. D. de Adq. l. am. possess. L. 17. D. Quand. dies legat. L. 95. §. 3. D. de Solut. L. 1. D. de offic. ejus, cui mandat, est iurid. L. 16. D. qui testam. facere poss. & multæ aliae testimonium perhibent certissimum.

### §. XII.

*Testimoni.* Ea, quæ haec tenus differui, confirmant ultima verum Pauli in ba Legis 1. D. de R. J. quibus Jctus pertractionem de L. 1. D. de natura atque indole Regularum Juris concludit, Regula dicens cum in aliquo viciata est, perdit officium suum. Disputant Interpretes de vero atque genuino horum verborum sensu. Alii enim ut Hotomannus L. 2. Obs. 18. Freherus

breviariis

-3v-

herus 2. Parerg: 13. putant: Mente Pauli esse, regulam officium suum non facere, si prava sit atque vitiosa, si ea latius fortè aut arcuus, maleque denique concepta sit. Alii vitium Regulæ ponunt in exceptionibus, ita, ut exceptio regulam vitiem non in totum, sed in casu tantum excepto. *Vid: Wissenb: in Comment. ad h. L.* Alii dicunt: vitiari regulam per iniquam applicationem, cum negotiorum diversitas ingerit diversitatem quandam, ut sine vitio iniquitatis Regula non possit ad talem facti speciem definierandam allegari, ut Gothofredus in *Comm: ad d. L.* putat. Verum enimvero quod ad primam attinet opinionem, regula male concepta atque vitiosa regula non est ex mente Pauli, quem interpretamur. Nec exceptiones (ut secunda fert opinio) vitiant Regulam, sed eam potius declarant, notum enim est, exceptionem confirmare regulam in casibus non exceptis *L. 12. pr. D. de Jud.* Multo minus vitiatur Regula per iniquam applicacionem, quia inqua regulæ applicatio hoc tantum efficit, ut controversia secundum Regulam decidi non possit. Regula itaque manet firma, nec vitiatur, licet applicetur negotio, quod regulæ convenire non videtur. Ut itaque dicam, quod res est, ICrus in all. *L. 1.* naturam & indeolem regularum proposuit, simulque materiam, ex qua Regula deduci debet, indicavit, verbis: *ex jure, quod est regula sit.* Quemadmodum vero Regula ex Jure componitur, ac vis, virtus, & potentia Regulæ à jure, ex quo derivata est, unicè dependet, ita jure, ex quo Regula composita est, mutato vel abrogato, Regula amplius subsistere ullumque effectum producere nequit, sed perdit officium suum, quia per contrariam Legem vel confundinem vitiata est.

## §. XIII.

Javoleni ex L. 202. de R. J. & Quintiliani. Ex iis vero quas adduxi rationibus apparet, verum esse Javoleni effatum: *Onnis definitio in jure periculosa est.* Ubip er definitionem intelligit Regulam Juris; licet enim Galvanus de *Usu fructu C. IV.* aliquae putent, Javolenum b. l. per definitionem intelligere definitionem logicam vel dialepticam; contrarium tamen docuit Gothofredus in *Comm. ad b. L. p. 78.* quem exscribere nolo. Periculosa vero nominat Regulam JCtus, suppeditatque rationem, quae naturæ ac indoli regularum convenit: *parum est enim ut non subverti possit.* Quod enim Quintilianus, à Gothofredo allegatus, in genere de Regulis monet L. 2. C. 13. Moris mihi semper fuit, quam minimum me allegare ad precepta, que Catolica vocant, i. e. universalia & perpetua: Raro enim reperitur hoc genus, ut non labefactari parte aliqua aut subrui possit. Hoc in primis de Regulis vel definitionibus juris verum esse existimo, & ex rationibus supra à me adductis concludo: Usum regularum juris esse periculosum.

## §. XIV.

Periculosis vero est usus Regularum juris, à *Uisu reguli* peritis Romanis concinnatarum, in foris Germanicis. *rum Juris* Cum enim hæ plerumque strictum Romanorum jus, Rom. in fo- quod moribus nostris non convenit, in compendio ex- ris German. hibant; à Dn. Præside vero in *notis ad Institut.* & Pan- dect. & in *Vindictis Corollarii de exiguo Pandectarum usu* in foris Germaniae adversus objectiones Programmati Wit- tebergensis; nec non in *Disputat.* de rite formando statu con- troversie: an Legum Juris Justinian. sit frequens an exiguis usus practicus in foris Germania, demonstratum sit, pau- cissima juris Romani capita in foris nostris esse in usu, mores

mores insuper nostri subtilitates juris Romani respuant; concludo, Regulas veterum Prudentum, & reliquorum I<sup>C</sup>torum Romanorum raro cum effectu in decidendis causis allegari, ita, ut ii, qui ad eas provocant; fumum potius vendant, & inania verba proferant, quām causas ex genuinis jurisprudentiæ nostræ fontibus deducant, atque decendant.

### §. XV.

Idem dicendum esse arbitror de vulgaribus Docto-  
rum Regulis seu Brocardicis juris. Doctores enim has  
fabricarunt regulas partim ex jure Romano ac Cano-  
nico, partim ex Glossatorum aliorumque Interpretum  
in Jus Civile & Pontificium glossematibus & commenta-  
riis. Quemadmodum vero Iurisprudentia Romana  
summa laborat juris incertitudine, Ius Canonicum ve-  
ro multis sc̄at contradictionibus, Glossatores denique  
ac primi juris Interpretes jus potius corruperunt, quām  
illustrarunt, ita non dubito asserere: Regulas ex his fon-  
tibus deductas jurisprudentiæ nostræ maximum da-  
mnum conciliasse, summamque juris incertitudinem  
introduxisse.

### §. XVI.

Quod ut evidentius appareat, ex natura, indeole, at-  
que compositione Brocardicorum demonstrabo, Docto-  
res vagas potius atque ineptas theses ex Legibus & In-  
terpretum scriptis collegisse, quam Regulas ex diversis  
juris capitibus composuisse. Doctores enim Regulam  
generalem ex qualibet specialis casus decisione elicie-  
runt, (hh) & ex singulis ferè Legum thematibus Regu-  
lam univeralem effinxerunt; (ii) Multas quæ moribus  
nostris non convenient regulas ex jure Romano dedu-  
xerunt,

xerunt; (kk) Alias ex Legibus Pandectarum per Imperatorias Constitutiones abrogatis, composuerunt; (ll) In multis ICto vel Legislatori falsam mentem affioxerunt; (mm) Ex ICtorum rationibus, mores Romanos attingentibus, regulas universales confererunt; (nn) Multas, quæ jurisprudentiam non attingunt Regulas, ex legibus Romanis & Iure Canonico concinnarunt; (oo) Alias, quæ analogiæ juris non conueniunt, commenti sunt, (pp) ac Glossatorum & aliorum Doctorum dicta inter regulas juris collocarunt: (qq) Regulas vero fabricatas multis ampliationibus declararunt atque extenderunt, & easdem innumeris fere limitationibus, sublimitationibus, fallentijs, exceptionibus restrinxerunt; (rr) ita, ut saepe plures sint regulæ limitationes, quam exempla consentanea & limitationes atque exceptiones regulam plementrumque absument. (ss)

(hh) Sic ex L. 3. D. de Officio Socie Gloriosa & rei qui Interpretates eliciunt regulam generalem: COMMUNIS ERROR FACIT JUS. Ex L. 14. D. Pro Socio Dd. formarunt regulam: FIDEM FRANGENTI REGULARITER FIDES SERVARI NON DEBET. Ex L. 8. D. de Public. in rem ad finxerunt regulam: LEX GENERALITER LOQUENS GENERALITER INTELLIGI DEBET. Ex § fin. J. de susp. tutor. PLVS DIVITI, QUAM PAUPERI CREDITUR. Ex C. ult. X. ut lite pendente, deduxerunt regulam: JUS SUPERVENIENS ACTORI LITE PENDENTE REGULARITER EI NON PRODEST.

(ii) Ex L. 12. D. de Tutor. & Curat &c. formant regulam: INDECORUM EST, PATREM A FILIO REGI. Ex L. 23. C. de testament deducunt regulam: CLERICIS OP. PROBRIOSUM EST, SI PERITOS SE VELINT OSTENDERE DISCEPTATIONUM FORENSIUM. Ex L. 8. §. ult. D. Quod metus causa tradunt regulam: PRO AFFE.

AFFECTU PARENTES MAGIS IN LIBERIS TER-  
RENTUR, QUAM IN SEMET IPSIS.

(kk) Sic ex L. 1. D. de Offic. ejus, cui mand. est juris d. formant regulam: JURISDICTIO ORDINARIA JURE MA-  
GISTRATUS COMPETIT ET MANDARI POTEST,  
EXTRAORDINARIA NON ÄQUE. Ex L. 2. D. de in-  
jus vocand. & L. 8. D. de accusat. MAGISTRATES DU-  
RANTE OFFICIO CONVENIRI NON POTEST. Ex L.  
46. D. de contrah. Empt. & L. un. C. de Contrah. Jud. de-  
ducitur regula: OFFICIALIS DUM EST IN OFFICIO  
CUM SUBDITIS CONTRAHERE NON POTEST.  
EX L. 38. D. de Concub. adferunt regulam: CONCUBI-  
NATUS QUILA PER LEGES NOMEN ASSUMSIT,  
EXTRA LEGIS POENAM EST. & ex Nov. 18. c. 5.  
conciannant regulam: UNAM CONCUBINAM HA-  
BENS NON PLURES, CASTE VIVIT.

(ll) Ex L. 28. in fin. D. de inoff. test. proponunt Regulam: CUM  
INOFFICIOSUM TESTAMENTUM ARGUITUR, NI-  
HIL EX EO TESTAMENTO VALET. Quæ re-  
gula repugnat Juri novo, quo salvis legatis aliquaque te-  
stamenti capitibus per querelam inofficiosi testamenti fo-  
la hereditis institutio evertitur. vid. Nov. 115. C. 3. & Auth. Ex  
Causa C. de Lib. præter.

(mm) Ex verbis L. 6. D. de fid. Instrument: Si de Tabulis  
testamenti deponendis agatur & dubitetur, cui eas deponi opor-  
ter, semper seniorem juniori &c. preferemus. deducunt Dd.  
Brocardicum: DOCTOR SENEX DEBET PRÆFER-  
RI JUVENI. Ex verbis Hadriani Imperatoris, qui Ju-  
nio Rufino, Proconsuli Macedoniz, rescripsit: Testibus se  
non testimonii fidem habere, L. 3. §. 3. D. de Testibus, Inter-  
pretes fabricant regulam: DELICTUM NON PROBA-  
RI PER INSTRUMENTUM. Ex verbis L. 27. §. 3. D. de  
arbitr. Si plures arbitri fuerint & diversas sententias dixerint, li-  
cet eorum sententia non stari, sed si major pars consentiat, ei

stabitur, concludunt regulam. TESTI UNI AFFIRMANTI PLUS CREDITUR, QUAM MILLE NEGANTIBUS.

(nn) In L. 18. D. de in jus vocand. dicitur: Plerique putaverunt, nullum de domo sua in jus vocari licere, additur ratio: quia domus tutissimum cuique refugium atque receptaculum. idque propter sacra privata, quæ veteres Romani habuerunt. vid. L. 1. D. de R. N. L. 9. §. 1. D. ad L. Jul. peculatorius L. 9. §. 2. D. de R. D. add. Ciceron. Pro domo sua C. 41. Licet hæc ratio moribus Romanis conveniat, Interpretes tamen ex ea generalem formarunt regulam: DOMUS TUTISSIMUM CUIQUE REFUGIUM EST. Docet Julianus L. 13. D. si quis cautionem in jud. Si servus judicio se fessi promittat, non committitur stipulatio neque in eum, neque in sidejussores, addit rationem: Quia Servus conveniri & convenire non potest. Ex hac Doctores fecerunt regulam: SERVUS CONVENIRI ET CONVENIRE NON POTEST.

(oo) HOMO EST DIGNISSIMA CREATURARUM ex 2. 44. D. de Ædil. Edit. HONESTI VIRI DEBENT ESSE IN SUIS DOMIBUS NOCTE ADVENIENTE. L. 2. §. 31. D. de O. J. QUI VADIT PLANE, VADIT SANE §. 2. J. de Just. & Jure. VINUM VETUS PRÆVALET NOVO VINO L. 3. D. Si certum petatur. VINUM LUXURIOSA RES EST. C. Luxuriosa Dis. 35. UXORES MULTÆ GAUDIEN DE MORTE MARITORUM L. 101. §. 3. D. de Condit: & demonst: FOEMINÆ BONÆ RARÆ SUNT, SED MALÆ MULTRÆ, vel: FOEMINÆ SUNT FALSÆ, FRAGILES, ET CORRUPTIBILES L. 20. §. 6. D. Qui testam. fac. possunt. V. Thom. à Thomasettis Reg. 128. ubi addit: Ipsi regulis non video, que limitatio assignari possit.

(p) Regula ex L. 8. §. 2. D. Quod metus causa deducta: VIRIS BONIS METUS INFAMIÆ MAJOR, QUAM MORTIS ESSE SOLET, repugnat L. 7. D. Quod metus causa. Regula ex L. 3. §. 3. D. de testib. concinnata: DELICTUM NON PROBATUR PER INSTRUMENTUM, est fassima

fissima vid. L. ult. C. de Probation. Regula: EXCEPTIO-  
NES PEREMPTORIÆ NON POSSUNT OPPONI  
ANTE LITIS CONTESTATIONEM reprobatur per  
L. 9. C. de Praescript. long. temp. & L. 8. C. de Except.

(qq) VINUM LÆTIFICAT COR HOMINIS, Gl. in L. 1.  
D. de Pericul. & Comm. rei Vendit. DOCTOR NON TENE-  
TUR ULTRA QUAM FACERE POTEST, Gloss. in L. 6. D.  
de Re judic. DOCTORANDUS HABETUR PRO DOCTO-  
RE Bald. in L. pen. D. de testam. Mil. STULTE INTERRO-  
GANTI RUSTICE EST RESPONDENDUM, Bartol. ad L.  
27. D. Qui testim. fac. poss. DOCTORUM OPINIO PROPTER  
EORUM REVERENTIAM RETINENDA EST. Ferrar. de  
Mora n. 18. DOCTORUM CONSILIA PRO TESTIMONIO  
VERITATIS HABENTUR Sichard. in L. 2. C. de testib. n. 4.  
BONUM EST PULCHRUM HABERE NOMEN, Joh.  
Andr. in C. I. X. de deposit.

(rr) Farinacius p. 3. Q. 104. Pr. Crimin. pro regula ponit: VA-  
LENT STATUTA SEU CONSTITUTIONES, QUI-  
BUS DISPOSITUR, BANNITOS POSSE IMPUNE  
OFFENDI, cui subjungit Ampliationes XXXVI & Limi-  
tationes XXXIV. Et Regula: FIDEJUSSOR NON  
TENETUR NON FACTA DISCUSSIONE CONTRA  
PRINCIPALEM, autb. Present. C. de Fidejuss. hujus regulæ  
ampliationes XXVIII & Limitationes LII adfert Gabriel  
Comm. Concl. L. 3. de Fidejussoribus Concl. i. p. 293. Regula:  
LEX GENERALITER LOQUENS GENERALITER  
INTELLIGI DEBET, fallentias LV adducit Socinus Reg.  
284. Ex L. 16. C. de jure delib. formatur regula, VENDE-  
RE REM SUAM NEMO COMPELLITUR, cuius  
fallentias LVIII allegat Socinus Reg. 530. Regula TE-  
STES POST DIDICITA TESTIFICATA NON POS-  
SUNT EXAMINARI SUPER EISDEM CAPITULIS  
VEL DIRECTE CONTRARIIS habet limitationes LXXI,  
quas enarrat Gabriel Comm. Concl. L. 1. de Testib. Concl. 21. Re-  
gula est: JURAMENTUM IN PROBATIONIS SUPPLE-

D

MEN.

MENTUM DEFERTUR, cuius fallentias LXXX alle-  
gat Socinus Reg. 253. Ex L. 39. D. de Adoption. & L. 37. D. de  
re judicat. deducitur regula: CITATIO IN QUOLIBET  
ACTU EST NECESSARIA, cuius ampliationes CXI,  
& Limitationes CXXX adducit Gabriel Comm. Concl. L. 1.  
de Citat. Concl. 1.

(ss) Doctores singunt regulam: CLERICI PROPTER  
FORNICATIONEM AUT CONCUBINATUM DE-  
PONENDI NON SUNT. Hanc regulam limitant at-  
que dicunt, quod non procedat 1) si Clericus fornicatus  
fuerit cum moniali, 2) cum virgine & nupta propter stu-  
prum & adulterium, 3) quando fornicatio est notoria,  
scandalosa & continuata, quæ limitationes totam regulam  
absumere videntur. Vid. Petrus à Duenas Reg. 101. Docto-  
res limitant regulam (cojus supra mentionem feci) DE-  
LICTUM NON PROBARI PER INSTRUMENTA, &  
excipiunt crimina, quæ scribendo committuntur, conju-  
rationem adversus principem, illicitam fœnerationem, fal-  
sum, perjurium &c. vid. Farinac. Q. 84. Sed hæ limita-  
tiones ipsam regulam absorbent.

### §. XVII.

*Noxios effe-  
tius in studio  
juris produ-  
cunt.*

Quemadmodum vero ex his, quæ dixi, sua sponte  
fluit, quod Doctorum brocardica multis scateant vitiis,  
scientias inter se confundant, leges non explicitent, sed  
implicent, jurisprudentiam corruptant atque obscurent,  
eos, qui juris studium ingrediuntur, distrahant, alios con-  
fundant & ancipites reddant, ita nimiam brocardicorum  
multitudinem inter defectus & nævos jurisprudentiæ re-  
fero, Gifanii iudicio (tt) subscribo, & concludo: Usum  
brocardicorum esse periculosum.

(tt) Adponam verba Gifanii, qui in *Prefatione Rittershusi*  
*Partitionibus Jur. Feud. premissa dicit*; *Eis recursiani inter bro-*  
*cardica*

cardica sua & hoc habent, specialia magis afficere (ut loquuntur) quam generalia, arg. L. 2. C. de servo pign. dato. de quo & Præterius in lib. de Reg. Gener. Idem nibilominus omnia ad communes & generales regulas revocare conantur, quarum postea innumerabiles exceptiones sive limitationes & sublimitationes, ut vocant ipsi, adserunt: qua peſe nulla major in hac juris scientia esse potest.

### §. XVIII.

Sed objiciunt alii: Extra dubium est, magnum axio- Rationes co-  
mata uſum præbere (I) siquidem in iis vera & genuina juris rum, qui bro-  
fundamenta, sanctissimis nature legibus ut plurimum con- cardica com-  
formia, vera omnino legalis scientie principia continentur.  
mendant.

Multum sicut interest prima disciplina cuiusvis initia mentia à prima sui origine derivasse, principium est, ex quo omnia flu-  
unt & in quod omnia resolvuntur. Sistit principium rei de-  
finitio, que quid res, qualis ejusdem causa, finis & effectus sit,  
exhaurit, idem in axiomatibus sepius obtinere videmus.

(II) Imo hac ipsa plerumque LL. verba referunt, que in pri-  
mo studii juridici tam ingressu quam ulteriori ejusdem pro-  
gressu haud exiguum Jurisprudentia nostra lumen accen-  
dunt, & per omnem vitæ cursum uſum sūstinent. Ita D.  
Kestner regulas vel brocardica juris commendat in Pre-  
fatione Memoriali juridico premissa. Huic adjungo Cu-  
bachium, qui in Praefatione Libri Brocardicorum dicit: Nam  
cum widerem, brocardica esse communissima & sive in scrupu-  
losis & dubiis Juris nostri questionibus decidamus, sive respon-  
deamus, sive consulamus, sive opponamus, &c. utilissima &  
per quam necessaria (subſidia) illa explicanda mibi sumſi.

### §. XIX.

Verum enim vero harum rationum imbecillitas fa- Brocardica  
cile ostendi potest. Nam quod ad primam, qua utitur non conti-  
Do-

nent vera &

D 2

*genuina ju-  
ris funda-  
menta.*

Doctissimus Kestnerus, attinet rationem: *In brocardicis  
juris vera & genuina juris fundamenta sanctissimis nature  
legibus ut plurimum conformia veraque omnia legalis scientie  
principia contineri;* Respondeo, hoc assertum non  
esse universaliter verum, contrarium demonstrant ea,  
quæ de natura & indole brocardicorum supra adduxi.  
Frustra quæris in iis, quas habemus brocardicorum,  
axiomatum, regularum Iuris collectionibus vera ac ge-  
nuina juris fundamenta, vagas enim invenis theses atque  
perplexas regulas, quæ non docent, sed seducunt, jura  
non explicant, sed implicant. Fundamenta & principia  
juris docent, quid & quotuplex sit quæque res juris, de-  
monstrant naturam ejus atque indolem, fistunt defini-  
tiones, divisiones, rationes negotio convenientes, & ex-  
hibent præcepta, quæ in dubium vocari non possunt;  
An vero idem de brocardicis, axiomatibus, regulisque  
juris communibus dici possit, valde dubito; Magna quippe  
inter axiomata regulasque & principia Iuris est dif-  
ferentia, ita, ut Regulæ ac Brocardica Doctorum præsup-  
ponant principia juris, non vero forment ac suppeditent.  
Hanc ob causam Doctores sedulo discernunt Iu-  
risprudentiam Syntheticam ab Axiomatica seu Brocar-  
dica. Prior docet principia, præcepta & dogmata juris,  
posterior vero proponit regulas juris, Brocardica & sen-  
tentias Doctorum. *Vid. Ioh. Ott. Taboris Prefat. Aug. Bar-  
bus Tbeaur. locorum communum premissam.*

## §. XX.

*Integra LL.* Altera D. Kestneri ratio est: *quia Brocardica s. axio-  
verba non mata Juris ipsa plurumque legum verba referunt.* Sed no-  
*referunt.* notes, in brocardicis non integra verba, sed excerpta tan-  
tum

tum atque eclogas legum adponi. Quemadmodum vero ea excerptorum est conditio, ut lectorem saepius incertum reddant, & eclogæ à corpore suo separatae alium saepe ac ab auctoris opinione plane diversum sensum accipiunt, ita & multæ regulæ Doctorum, quæ verba Legum referunt, mentem atque sententiam ICti non exprimunt, sed saepius pervertunt, falsamque Legislatori opinionem affingunt. Ut taceam, huic rationi contradicere axioma Doctorum ex L. 24. D. de LL. deductum: *In civile est, nisi tota lege perspecta una aliqua particula ejus proposita judicare vel respondere.* V. D. Kestner. Memorial. Juridic. p. 3. axiom. 23. Quod cum ita sit, sua sponte corruunt, quæ ulterius adducuntur: quod ea, quæ brocardica referunt, verba legum haud exiguum Jurisprudentia nostra lumen accendant, & per omnem vite cursum usum ostendant. Contrarium enim supra demonstravi, nihil itaque addo, quam effatum Celsi, quod Doctores brocardici commendant: *Leges scire non est verba tantum tenere, sed vim ac potestatem.* L. 17. D. de LL. vid. D. Kestneri Memoriale juridicum p. 3. Axiom. 21

## §. XXI.

Objicis porro cum Cubachio Brocardica magnum *Exiguum* in quoque usum præbere in decidendis scrupulosis & dubiis juris decidendis nostri questionibus, in respondendo, consulendo &c. Verum controversie enim vero, quem usum præbere potest jus peregrinum, usum pre& & regula ex eo inepte formata, in decidendis juris Germanicis controversiis? Notum est, quod in decisione causarum primario ad consuetudines locorum, jus municipale, provinciale, Germanicum respiciendum, his vero deficientibus ad jus subsidiarium recurrentum sit.

D 3

No.

Notum quoque est, quod paucissimæ Juris Romani Leges apud nos in usu sint; Notum denique est, quod jus Romanum & miræ in illud primorum Interpretum Glossæ summa laborent incertitudine. Brocardica itaque ea ex his fontibus deducta, imbecillia ac fallacia ad decidendas juris controversias quæstiones sunt subsidia, quæ juris nostri controversias non dirimunt, sed augent, in consulendo non profunt, sed obsunt, in respondendo non juvant, sed impediunt.

## §. XXII.

*Non habent  
juris auctorita-  
tatem.*

Quod ut melius deducam, pauca de potestate & autoritate Brocardicorum seu regularum juris addam. Regulas juris à JCtis ex variis juris constituti capitibus esse concinnatas, nemo negat; JCtī vero leges explicare, illustrare, & jus in iis constitutum factis & negotiis humanis applicare possunt, jus novum condere atque constitutere nequeunt, cum hæc facultas ei tantum competit, penes quem est summa potestas, & magna differētia sit inter eum, qui jus constituit ac legem fert, & inter eum, qui jus explicat, illustrat, & ad factum applicat. Regula itaque sifit ac proponit quidem jus antea constitutum, jus novum autem non introducit; Ita docet Paulus in L. I. D. de R. J. ex regula inquiens *jus non sumitur, sed ex jure, quod est, regula sit h. e. non ea regulæ juris, quæ jus antea constitutum vel introductum breviter enarrat, est potestas, ut imperet, vetet, dubias juris quæstiones decidat, vel novum jus introducat, sed virtus & officium regulæ in eo consistit, ut jus introductum breviter exhibeat atque enarret.* Audias Doctores

res ex hac Pauli Regula tale formantes Brocardicum:  
EX REGULA JUS NON SUMITUR, SED EX JU-  
RE, QUOD NATURA CONSTITUTUM EST, RE-  
GULA EXTRUITUR. Bocerus de *Innesitum*. Feudi  
C. 3. n. 89. vid. Tabor in *Thesaur. axiomat.* Barbosa L. 16. c.  
22. axiom. 4. Ex his itaque rationibus concludo: Regu-  
las s. brocardica juris novum jus non introducere, &  
per se nullam juris auctoritatem habere, sed omnem eo-  
rum vim atque potestatem dependere ab usu forensi vel  
ab auctoritate Principis, qui ea adprobavit. Quo casu  
non allegari possunt, tanquam regulæ, sed tanquam jus  
receptum vel adprobatum.

## §. XXIII.

Ex iis vero, quæ haec tenus deduxi, pater, quid sen-  
tiendum sit de communibus Doctorum brocardicis: I. cum: Regu-  
REGULAM PRO SE HABENS, IUS CERTUM lam pro se  
HABERE DICITUR, DONEC PROBETUR CON- habens jus  
TRARIUM, vel QUI REGULAM PRO SE HABET certum ha-  
INTENTIONEM FUNDATAM HABET, AC O- bere dicitur;  
NUS PROBANDI TRANSFERT IN EUM, QUI repugnat a-  
SE FUNDAT IN EXCEPTIONE. II. SECUN- nalogie juri-  
DUM REGULAM IUDICANDUM EST NISI CON- ris.  
TRARIUM PROBETUR. Vid. Barbosæ *Thesaur.* L. 16.  
C. 22. axiom. 3. & 7. Hæc enim brocardica ex Glossa-  
torum aliorumque Iuris Interpretum commentis à Do-  
ctoribus composita sunt, nec Legibus, ex quibus dedu-  
cuntur, convenient. Primum: Regulam pro se habens  
jus certum habere dicitur, Glossa atque Doctores fa-  
bricarunt ex L. 5. D. de Probat. L. 4. §. 1, in fin. D. de bared.  
*Institut.* & ex C. fin. de Reslit. Spoliator. in qto. At tex-  
tus

tus d. cap. ult. hanc regulam planè non probat, cum probationem possessionis legitimæ injungat Ecclesiæ, quæ petit restitutionem deciminarum, quas intra Parœciam alterius possedisse dicit; Ex allegatis Digestorum Legibus vero ea ineptè colligitur, nam Lex s. D. de Probat. propo- nit casum specialem: Titius sc. negat, Cajo competere jus, quod omnibus permisum; queritur: quis proba- tionem suæ intentionis in se suscipere teneatur? Respon- det ICtus: eum, qui jus alteri competere negat, & ad legem vel constitutionem prohibentem provocat, ver- ba Pauli sunt clara: ab ea parte, quæ dicit adversarium suum ab aliquo jure (quod regulariter omnibus permisum est, e.g. testimonium ferre, provocare, appellare) prohibi- tum esse specialiter lege vel constitutione (quæ parti adver- sae hoc jus omnibus committit denegat,) id probari opor- tere. Quod cum ita sit, non video, qua ratione ex hac Pauli decisione regula generalis de vi ac potestate regu- larum Iuris formari possit? Abutuntur quoque Docto- res verbis Ulpiani in L. 4, §. 1. in fin. d. de hæred. instituend. Propter quæ ad generalem definitionem recurrentum est. Agit nempe JCtus l.c. de institutione sui hæreditis sub condi- tione, & in §. 1. b. Legis proponit definitionem seu regu- lam generalem: utrum in potestate fuerit conditio an non fuerit, facti potestas. h. e. facti potius, quam juris quæ- stio est, eamque nonnullis illustrat exemplis & propter varias hic occurrentes circumstantias tandem addit, quod in præsenti negotio ad generalem definitionem recur- rendum sit. Vera sunt, quæ dixit Ulpianus, ex iis au- tem concludi non potest, quod semper ad generalem re- gulam recurrentum sit; Multominus ex hac JCTi deci- sione sequitur, verum esse Doctorum brocardicum: Re- gulam

gulam pro se habens jus certum habere dicitur. Magna enim inter jus & regulam est differentia, jus factum respicit & omnia similia facta comprehendit, regula vero non fit super factum, sed ex jure formatur & generali doctrinam ex variis juris capitibus extractam exhibet. *V. Zasius ad L. 8. D. de LL. n. ii. add. Hotoman. L. 2.*  
*Observe. c. 18.* ubi aliam differentiam adducit. Posterius *Brocardi-*  
*brocardicum: Secundum regulam judicandum est, nisi cum: Secun-*  
*contrarium probetur, est pars atque sequela prioris, pri-*  
*mo itaque destructo, secundum sua sponte corruit. Pu-*  
*gnat quippe illud cum effato Pauli & ex eo formata Do-*  
*ctorum regula, Jus ex regula non sumitur, nec per ul-*  
*lum juris textum probari potest. Debet sc: hæc opini-*  
*o suos natales Glossæ & alii juris nostri Interpretibus,*  
*qui juri Romano magnam auctoritatem & Regulis ve-*  
*terum Prudentum ac aliis ex legibus temere fabricatis Reg. Jur.*  
*axiomatibus juris vigorem attribuerunt. Quemadmo-*  
*dum vero usus juris Romani in foris nostris est exiguis,*  
*& magna (ut monui) inter jus & regulam ex jure dedu-*  
*ciam est differentia, ita præsens Doctorum brocardicum*  
*universaliter verum non est, sed tum demum regula jus*  
*certum proponit & secundum eam judicandum est, si*  
*legislatoris auctoritas vel usus fori eam adprobaverit.*

### §. XXIV.

Cum itaque usus brobardiæ sit periculosus, *Cautela cir-*  
*ris vero in studio jurisprudentiæ vix carere possimus, ca brocardi-*  
*caveas, ne infinita brocardorum multitudo & Docto-*  
*rum, qui ea allegant, auctoritas te obcæcet, decipiatur atque*  
*seducat. Quod ut evites, sensum atque intentionem*  
*brobardiæ propositi diligenter excutias, originem, fun-*

E  
damen-

damentum & rationem regulæ sedulo perscruteris, an ea menti Jcti & analogiæ juris conveniat, inquiras, rem regulæ subjectam vel subjiciendam probè teneas, brocardici ampliationes, limitationes &c. studiose perquisiras, an analogiæ juris respondeant, regulamque declarerent, examines, usum practicum brocardici sollicitè investiges, & an hæc praxis rationi ac solidæ Jurisprudencie principiis sit consentanea, accurate disquiras.

§. XXV.

*Trensitio ad  
Caput se-  
undum,* Quo vero eorum, quæ hactenus differui, specimen addam, unicum, ex iis, quibus Jurisprudentia nostra scatet brocardicis, ad ductum earum cautelarum, quas suppeditavi, proponam, atque examinabo. Ex in numero vero horum numero selegi commune Brocardicum: CAUSA FATUA EXCUSAT A DOLO, quod ab omnibus fere Doctoribus allegatur & adeo practicum est, ut nullum pene sit negotium, nullum delictum, cui hoc brocardicum non applicent Doctores brocardici.

Caput II.

DE  
ORIGINE ET PROGRESSU  
BROCARDICI, CAUSA FATUA EX-  
CUSAT A DOLO.

§. I.

*Causa fatua  
definitio.* Causa fatua est argumentum & ratio sanæ menti & legi disconveniens, movens ad aliquid agendum vel omittendum. Vid. D. Friesi Diff. de Cau-  
sa fatua §. 4. Per causam hic intelligo impullum ad ali-  
quid

quid ageodum, qui non subsistit in sola contemplatione atque meditatione, sed simul in actum erumpit, & hominem movet, tam ad ea agenda, quæ sanæ rationi ac Legibus adversantur, quam ad ea omittenda, quæ rectæ rationi & iussui Legislatoris conveniunt. Fatuum vero dicitur, quod sanæ rationi & legibus non est consentaneum. Quemadmodum enim recta ratio & leges sunt fundamentum, norma atque regula actionum humarum, & omnis actio, quæ dictamini rectæ rationis & iussui superiorum convenit, justa, ea vero, quæ rectæ rationi & legibus adversatur, injusta dicitur, ita idem dicendum esse arbitror de causis actionum impulsivis; Quamcunque enim rationem sana ratio & leges adprobant, ea est justa, quæ vero sanæ rationi & Legibus non convenient, ea dicitur injusta atque fatua.

## §. II.

Attribuunt vero Doctores hanc causam non dolo *Fundamentum* malitia, sed facilitati, in curiae, & inconsulto calori *tum effectus*. agentis. Hinc causam fatuam à dolo discernunt, cum prior præcipitantiam & reprobatum fervorem, posterior vero propositum ac animum nocendi præsupponat. Hinc dicunt, eum, qui non adhibita debita industria quid fecit, facere stulte atque fatuè, sed non dolose. Hinc *Sensus bro-* causæ fatuæ singularem adsignant effectum, ita, ut ex-*cardici cau-* cuset à dolo. Licet enim is, qui rei illicitæ dat operam, *sa fatua ex-* præsumatur versari in dolo, hanc tamen doli atque ma-*cusat à dolo.*

præsumptionem diluere & purgare potest, si causa fatuam, qua commotus peccavit, allegare ac probare valeat. Et hoc Doctores intendunt atque exprimunt per commune brocardicum: *Causa fatua excusat à dolo.*

E 2

§. III.

## §. III.

*Prima bjuue  
doctrinæ ini-  
tia.*

Quibus præmissis, perquiro originem & primum hujus brocardici auctorem. Hunc frustra quæsivi inter JCtos & Legislatores Romanos, nulla enim in Pandectis extat lex, quæ nostri brocardici mentionem facit, & in Institutionibus, Codice atque Novellis altum de eo est silentium. Progredior itaque ad Legum Romanarum Interpretes & inter eos Glossatores offendio, quibus prima nostri brocardici initia attribuenda esse censeo. Invenio enim in Gl. ad L. 14. C. ad L. Fab. de Plagiariis, Iohannem Bosianum dixisse: quod non solum causa justa sed etiam *non justa* à crimine plagi excuset. (a) Reperio alium ad L. 1. D. de abigeis ejusque ultima verba: *justis rationibus ductus, notasse: non justas* rationes excusare à crimine abigeatus. (b) Denique observo, quod Glossa saepius dixerit: causam *non justam* excusare à contumacia. V. Gloss. ad L. un. §. fin. D. si quis jus dicenti *non obtemperav.* (c) ad L. 19. D. de in jus vocand. (d) & ad L. 23. §. ult. D. de appellation (e).

(a) Adponam verba Glossæ ad L. 14. C. ad L. Fab. de Plagiis ejusque ultima verba: *justa ducti ratione.* Idem si NON JUSTA secundum Joan. quia qualibet ignorantia etiam iuris excusat à dolo, hoc autem crimen dolo demum interveniente committitur. ut ff. eod. L. 3. & de liber. causa L. Igitur §. 1. Sic & in L. Corn. de fiscar. venit tantum dolus ut ff. ad L. Corn. de fiscar. L. in Lege & ad idem. j. de his qui sibi adscribunt, L. senatus consulto & facit ff. de abigeis L. 1. §. fin.

(b) Dabo Textum Ulpiani cum Glossa: Ulpianus dixit: *Quis pecora de quorum proprietate faciebat controversiam abegit, ut Saturninus quidam scribit, ad examinationem civilem remittit.*

mittendus est, sed hoc ita demum probandum est, si non color abigeatus quesitus est, (i. e. ut Glossa notat, nisi velit delictum occultare occasione talis questionis, sicut quavis res occultatur colore,) sed vere putavit sua (tunc enim quia dolo caret, non tenetur hoc crimine) iustis rationibus ductus. Addit. Glossa Idem si NON JUSTIS sed quoquo modo sua credit, etiam errore juris, cum esset dolus, ut sup. de lib. caus. L. Igitur §. 2. & sic etiam expone, quod est, Cod. de Plag. L. Plagii Criminis & facit supm Loca. L. utpote & de separa L. i. §. pen.

(c) Audi Glossam ad L. un. §. fin. D. Si quis jus dicent. non obtemperav. ejusque Verba; Hoc judicium non ad id quod interest, sed quanti ea res est, concluditur. Disputat Glossa de genuino verborum quanti ea res est, intellectu, varias explicationes recenset, & inter alias subjungit: Secundo exponitur, ut loquatur de ea actione, que datur parti, ut non detur ad interessum, sc. singulare, sed quanti ea res est, i. e. ad totam litem vere assimilatam ut infra, de Verb. Sign. I. hæc verba quanti; & in hac positione multa jura concordant, ut infra Vi bon. rapt. I. Prætor §. hæc autem actio. & infra, de no. ope. nun. L. antepenult. §. Sive autem, & infra ad leg. falc. I. in lege 4. §. corpora. & infra de ædil. edi. I. illud §. condemnatio, & hac positio est FATUA, ut propter unam levem inobedientiam tam inique per hunc titulum puniretur. In margine adiutur. Licet hæc lectum non sit FATUA secundum Bartol. non est tamen bona. Glossa paulo post de Edicto si quis in jus vocatus non iverit, quædam immiscet & in fin. addit. Satis est, ubi scilicet quis non venit, venire tamen non contemnit, quia absens est vel præsens, habet tamen causam, licet INJUSTAM quare non veniat. Ibi vero venire designatur contemnendo judicem, vel actorem securus est. Additurque in margine. Singularis Glossa secundum Jasonem in L. 2 C. de Carb. edict. displicet tamen Cyno, alexandro & Jasoni.

E 3

(d) Ad-

(d) Adjiciam verba Glossæ in L. 19. D. de in jus Voc. Imo non est satis, cum & pœna possit ei imponi: ut supra Si quis jus dic. non ob. L. 1. in pr. Sed ibi in contemptum judicis ire nolebat, hic non in contemptum, sed ob aliquam causam licet NON IUSTAM ut ibi dixi.

(e) Verba Glossæ ad L. 23. D. de Appell. sunt hæc: In dubio tamen. videtur vere contumax inventus non veniens, ut infra de R. J. I. nemo videtur dolo, unde non appellat, nisi judice sedente pro tribunali veniat, ut supra de in Integr. restitut. L. divus, vel nisi probet non contumaciam per hoc, quod aliqua JUSTA causa non venit, forte per oblivionem vel quia non credebat sic judicem festinare, & similia.

#### §. IV.

*Progressus.*

Dedi prima brocardici nostri initia, jam demonstro, quo modo subsequentes legum Interpretes ex his, quas dedi Glossatorum opinionibus nostrum formaverint brocardicum. Docent ea, quæ ex Glossæ doctrina adduxi, Glossatores decisionem Ulpiani L. 12. D. de Lib. cauf. ad alia delicta extendisse, atque statuisse, causam *non justam* excusare à crimine plagi, abigeatus & à contumacia. Quoniam vero adducta crimina (ut reliqua vera delicta) dolo demum interveniente committuntur, ideo Doctores hanc Glossæ doctrinam ad alia delicta extenderunt, causam NON IUSTAM, cuius Ulpianus & cum Ulpiano Glossatores mentionem faciunt, in INIUSTAM (an ex ignorantia, an ex præcipitantia? nescio) commutarunt, & regulam juris generalem fecerunt atque commenti sunt: CAUSA INIUSTA EXCUSAT A DOLO. Verum enim vero hæc regula in his haud substitut terminis, sed ab aliis Iuris Doctoribus hinc inde aucta mirisque accessionibus illustrata est. Sic Iohannes de Imola in L.

134.

124. D. de V. O. Alexander Vol. 6. Conf. 43. Socinus Conf.  
118. Causæ in justæ adjecerunt CAUSAM BESTIALEM, CREDULITATEM BESTIALEM. Baldus in  
Cap. 8. X. de Test. & L. 3. Conf. 98. Paulus de Castro in L. 27.  
D. de Usu cap. aliquie dixerunt; OCCASIONEM LEVEM, IGNORANTIAM SUPINAM, ERROREM  
INIUSTUM EXCUSARE A DOLO. Angelus de  
Ubaldis in L. 14. C. ad L. Far. de Plag. & in L. 1. in f. D. de eo,  
per quem fact. eundem effectum attribuit CAUSÆ  
TEMERARIE, & CREDULITATI FATUÆ, quem  
secuti sunt Jafon, in L. 7. D. de juria. Aretinus Conf. 89.  
Curtius junior Conf. 19. n. 4. & alii. Alii addiderunt  
CAUSAM COLORATAM, FRIVOLAM, GROSSAM,  
INEPTAM, INSULSAM, STOLIDAM, STULTAM,  
BRUTALEM, ERRONEAM, INERTEM, LEVISSI-  
MAM, MINIMAM, MODICAM, &c. quos adduxit D.  
Frieſe Disp. de Causa fatua §. 3. Hinc regula nostra va-  
rie exprimitur & ab aliis dicitur: QUAMLIBET CAU-  
SAM excusare à dolo, V. Phil. Corneus L. 1. Conf. 17. Phil.  
Decius Conf. 178. & 192. Gabriel. Comm. Concl. L. VII. de  
Maleficiis Concl. 8. Bargalius de dolo L. 6. Reg. 12. ab aliis  
Causam quamlibet & QUAMLIBET CREDULITA-  
TEM ETIAM LEVEM ET INJUSTAM excusare a  
Dolo, vid. Farinacii Crim. Q. 90. n. 1. ibique citat. ab aliis: a  
Dolo & pœna CAUSAM ETIAM LEVIUSCULAM  
ET FERIS IMMANIBUS MAGIS, QUAM AUT  
HOMINI AUT RATIONI CONSENTANEAM pec-  
cantem liberare. vid. Carpzov. L. 6. T. 8. Reffons. 81.  
num. 12. Cum vero FATUUM, (ut supra do-  
cui) denotet, quod sanæ rationi & Legibus non est  
contentaneum & omnes modo allegatas locutiones in  
com-

compendio exhibeat, Doctores hanc ab Angelo de Ubaldis excogitatam expressionem ad exprimendam communem opinionem judicarunt appositissimam, & informarunt Brocardicum: CAUSA FATUA EXCUSAT A DOLO.

## §. V.

Fundamen-  
tum.

Proabant vero hoc Brocardicum & Legibus & rationibus, eumque in finem XII juris textus allegant Doctores. Provocant in primis ad L. 12. §. 3. D. de Liber, causa, ubi Ulpianus dixit. Et generaliter dicendum est, quod quis justis rationibus ductus, vel NON JUSTIS, sine calliditate tamen, putavit se liberum, & in libertate moratus est, (dicendum est,) bunc in ea causa esse, ut sine dolo malo in libertate fuerit: atque ideo possessoris commodo fruatur. Hunc textum adducunt Glossa & omnes, quos inspexi Doctores. Alter textus, ex quo hoc Brocardicum deducere volunt, est Lex 46. §. 7. D. de furtis. Ubi Ulpianus Recte dictum est, qui putavit se Domini voluntate rem attingere, non esse furum. Quid enim dolo facit, qui putat dominum consensurum fuisse, sive FALSO id, sive vere putet? Is ergo solus fur est, qui attrectavit, quod invito domino se facere scivit. Confirmant 3. nostrum Brocardicum per verba L. 7. §. 4. D. de Jurisdictione Ubi Ulpianus: Dol mali autem ideo in verbis Edicli fit mentio. Quod si per IMPERITIAM vel RUSTICITATEM, vel à Præstore iussus, vel casu aliquis fecerit, non tenetur. in qua Lege Imperitia atque rusticitas dolo opponitur, & concluditur, eum, qui per imperitiam vel rusticitatem peccat, de dolo non teneri. Deducunt (4) commune Brocardicum ex L. 25. §. 6. D. de hereditatis petitione in qua Ulpianus: Scire ad se non pertinere utrum is tantummodo videtur, qui fa-

ctum

clum scit: an *E* is, qui in jure erravit? putavit enim recte factum testamentum, cum inutile erat; vel cum eum alius precederet agnatus, sibi potius deferri. Et non puto hunc esse pradonem, QUI DOLO CARET, QUAMVIS IN JURE ERRET. Facit etiam (5) alius textus, si tamen illum non oscitantur, sed paulo solertia intropsexeris. Ita Tiraquellus Tr. dePæn. mitigand. causa 43. n. 1. commendat atque allegat textum Ulpiani L. ii. §. 10. de in-terr. in jure fac. Qui JUSTO ERROR Eductus negaverit se heredem, venia dignus est. Cui (6) adde §. 11. d. l. Sed *E* si quis sine dolo malo, CULPA tamen responderit, dicendum erit, absolvi eum debere: nisi culpa dolo proxima sit. Brocardicum nostrum (7) concludere volunt ex L. 71. §. 8. D. de acq. vel om. heredit. ubi Vlpianus: Amovere non videtur, qui non callido animo nec maligno rem reposuit. Ne is quidem, qui in RE ERRAVIT, dum putat non esse hereditariam. Si igitur non animo amovendi, nec ut heredi damnum det, rem abstulit, sed dum putat non esse hereditariam, dicendum est, cum amovisse non videri. Allegant (8) L. 3. §. 21. & 22 D. de SCto Sillianian. ubi Vlpianus: Si quis ignorans occisum, aperuerit: non debet hoc editio tene-ri. Et si scieus, non tamen dolo aperuit, aquè non tenebitur: si forte per IMPERITIAM, vel per RUSTICITATEM, ignarus Edicti Prætoris vel SCti aperuit. Confirmare (9) nituntur Regulam communem per L. 6. pr. D. de acq. vel amitt. pos-cess. ubi Vlpianus: Nec quemquam clam possidere incipere, qui sciente aut volente eo, ad quem ea res pertinet, aut ALI-Quaratione bona fidei possessionem nanciscitur. Doctores porro (10) provocant ad L. i. §. ult. D. de abig. ubi Vl- pianus: Qui pecora, de quorum proprietate faciebat con- troversiam, abegit, ut Saturninus quidem scribit, ad exami-

nationem civilem remittendus est, sed hoc ita demum probandum est, si non color abiecatus quæstus est, sed verè putavit sua, IUSTIS RATIONIBUS ductus. Huc quoque (ii) trahunt L. 2. D. ad L. Fab. de Plagiar. ubi Vlpianus: Scindum legem Fabiam ad eos non pertinere, qui cum absentes servos haberent, eos vendiderunt: aliud enim est abesse, aliud in fugâ esse. Denique (12) addunt L. 3. pr. D. ad L. Fab. de Plag. ubi Marcianus: Legis Fabia criminis suppressi mancipii bona fide possessor non tenetur: i. e. qui ignorabat servum alienum, & qui voluntate domini putabat id eum agere, & ita de bona fide possessore ipsa lex scripta est: nam adjicitur, si sciens dolo malo hoc fecerit: & sepissime a Principibus Severo & Antonio constitutum est, ne bona fidei possessores hac lege teneantur.

## §. VI.

Rationes IV. Præter eas, quas adduxi Leges, quatuor rationes, quibus nostrum probatur brocardicum, allegare solent Doctores. Prima usus est Glossa, quæ conclusionem, causam non justam excusare à Plagii crimine, ita probat, quia qualibet ignorantia, etiam juris, excusat à dolo. Ratio II. ex præsumpta hominum bonitate deducitur, & concluditur: Quia dolus non præsumitur, ergo causa fatua excusat à dolo. Rationem III. adduxit Bargalius Tr. de dolo L. 0. Reg. 12. Ratio, inquit, est, ut puto, quoniam dolus consistit in animo. Dd. in L. dolum. 5. C. de Dolo. ideoque non probatur directe, sed per conjecturas, si igitur animus non dirigitur ad decipiendum, non est in dolo, non dirigitur autem, si aliqua causa à dolo remota fecerit, quod non erat faciendum vel omisserit, quod non erat omissendum, facit Glossa magna in L. Plagii sup. C. de Plagiar. ad verb. justa. Rationem IV. Bargali potius, quam meis proponam verbis: Hic l. c. di-

dicit: Rursus alia sit ratio: quoniā cessat in eo definitio dolī igitur & definitum, etenim cum dolus sit machinatio fraudulenta ad circumveniendum L. i. §. i. D. de dolo. plane non vult decipere, qui aliqua alia causa ductus fecerit, ut non obscure colligitur ex d. §. recte dictum (§. sc. 7. L. 46. D. de furtis) in quo sur dolo caret, si putavit dominum consenserum, etiam si falso putet, veluti ratione alicujus levie amicitie.

## §. VII.

Exempla, quibus Doctores nostrum brocardicum *Exempla* illustrant, ex ipsis Legibus Romanis depromunt, eumque in finem adducunt, L. i. §. 4. D. *Ne vis fiat ei, qui possedit missus est*, ubi Ulpianus edictum Praetoris explicat. Praetor scilicet ex interdicto, ne vis fiat ei, qui in possessionem missus est, dabat in factum judicium, quanti ea res fuit, ob quam quis in possessionem missus erat, in eum, qui dolo malo fecit, quo minus quis permisit suo, ejusque, cuius ea jurisdictio fuit, in possessionem bonorum sit. L. i. pr. D. *ne vis fiat ei, qui in possedit*. Ulpianus hoc explicans Edictum in L. i. §. 5. proponit casum, ubi quis ei, qui in possessionem missus erat, se opposuit, quia putaverat rem esse suam, vel sibi nexam, & querit, an Edictum Praetoris locum habeat. Responder: Neg. quia is, qui possessione arcuit, non fecit dolo malo, sed quia JUSTIS ex causis putaverat, rem esse suam vel sibi obnoxiam, vel non illius debitoris, in cuius bona missio facta. Aliud exemplum suppeditat L. 76. pr. D. de furtis. Quæritur: an is, qui re sibi commodata vel apud se deposita aliter usus est, atque accepit, ea ex causa, quia existimavit se non invito domino id facere, actione furti vel depositi conveniri possit? Respondet Pomponius

*I. c.* Quod neque actio furti, neque actio depositi locum habeat, quia is, qui re commodata vel apud se deposita aliter usus est, atque accepit in *bona fide* fuit, JUSTIS ex causis credens, se non invito domino hoc facere. Allegant quoque Dd. exempla à Paulo in *L. 7. ad L. Corn. de Sic.* proposita: Alto se quis, cum fugere vellet, præcipitaverat, & super alium venerat, eumque occiderat, quaeritur an is ex *L. Corn. de Sicar.* coerceri possit? Paulus Resp. Neg. quia hic non est in dolo, sed *lata culpa*, in Lege Cornelia vero lata culpa pro dolo non accipitur. Eadem responsione alter casus *I. c.* propositus excipitur. Putator ramum ex arbore dejecerat, & non proclamaverat, prætereuntem vero occiderat: Quær. An pœna Legis Corneliae de Sicariis locum habeat? Resp. Neg. quia Putator non fuit in dolo, sed tantum in *lata culpa*, & Lege Corn. de Sicar. dolus, non vero culpa arguitur. His adjungo casum *L. 21. D. de L. Corn. de fals.* ubi Paulus dicit, qui duobus in solidum eandem rem diversis contractibus vendidit, pœna falsi coercetur. *Vid. Tabor Thesaur. Loc. Comm. Jurispr. L. 3. C. 10. ax. 20.*

### §. VIII.

*Ampliatio-  
nes.*

Ab exemplis transeo ad miras brocardici nostri ampliationes. Extendunt vero Doctores causam fatuam cuius in Regula nostra fit mentio *I. ad FAMAM PVBLICAM*, atque dicunt: Famam publicam inducere justam credendi causam & ideo excusare à dolo *L. II. §. 12. D. ad L. Julianum de adulteriis.* Hinc is, qui fama publica seductus falsum denuntiat, excusatur à dolo *L. ult. D. de hered. Instituend. L. 30. §. 3. D. de acquir. I. omitt. hered. ibi-*

ibique Bartol. Hinc accusator, qui probare non potest, à calumnia absolvitur. Hinc judex male inquirens liberatur, ne inquisito ad interesse teneatur V. Bertachin. & quos allegat in *Repertor. Voc. Judex.* Afferunt porro II. Doctores, CONSVETUDINEM IRRATIONABILIEM excusare a dolo & poena per Gloss. in C. 7. X. de *Conspic.* quia consuetudo de non licto licitum & contra facit. Excusant itaque judicem, contra legem judicantem, si ita erat consuetudo, Bartol. in L. 1. in fin. pr. D. Quod quisque juris &c. Excusant notarium, afferentem aliquem praesentem, qui est absens, vel scribentem, solutam pecuniam, ubi non vidit pecuniam, sed bursam. v. Gabriel Comm. Concl. L. 7. de delict. Concl. 8. n. 16. sq. Excusant eum, qui facit id, quod consuetum est, communiter fieri Vid. Barbosæ Thesaur. loc. comm. L. 3. C. 29. av. 12. Extendunt III. causam fatuam, cuius brocardicum nostrum mentionem facit, ad SUBREPTITIAM DISPENSATIONEM, quia & haec à dolo & poena excusat, v. Paris Consil. 52. n. 24. sq. & Gabriel. I. c. n. 4. Eundem effectum attribuunt IV. CREDULITATI, docentque quamlibet credulitatem, irrationalabilem, quoquo modo coloratam, imo & bestialem excusare à dolo vid. Farinacci Criminal. Q. 90. n. 3. Credulitati annumerant V. TEMERITATEM, quæ similiter à dolo & poena excusationem praebet. Vid. Bargalii Tr. de dolo L. VI. Reg. 13. n. 7. Addunt VI. ERROREM, qui, etiam si sit INJUSTUS, excusat à dolo secundum Castrensem & Balbum in L. 27. D. de usucap. & denique adjiciunt VII. IGNORANTIAM JURIS, quæ à dolo excusat, Vid. Bartol. in L. 25. §. 6. D. de hered. Petit. aliosque, quos allegat Gabriel I. c. n. 35.

## §. IX,

Relique nostri brocardi ampliationes proponunt effectum, quem causa fatua producit. Causa fatua excusat à dolo, Doctores ampliant hanc regulam atque dicunt: causam fatuam excusare à dolo VIII in omni casu, OMNIBUSQUE DELICTIS, in quibus à lege vel Statuto requiritur dolus. vid. Angelus in L. 14. C. ad L. Fab. de Plagiar. n. 1. Bartol. in L. u. D. de acq. l. amitt. possess. n. 4. in fin. Farinac. l. c. n. 42. Adserunt porro IX causam fatuam excusare non solum à dolo, sed etiam A POENA; Rationem asserti proponit Farinacius l. c. n. 4. dicens: *Ubi non est dolus, ibi non est pena, & cessante dolo, cessare debet pena dolis, quia ubi non est delictum, ibi non est pena, & nisi admitteremus, causam injustam excusare à pena, remaneret inutilis regula supra firmata quod excusat à dolo.* Excusat ergo causa fatua X ab INFAMIA. Infamia enim irrogatur propter dolum, causa fatua vero excludit omnem dolum liberatque à peccatis dolis, consequenter etiam ab infamia, remota enim causa, removetur effectus C. 60. de appell. Qui itaque ex lata culpa delinquit, illius existimatio non læditur; nec infamia notatur is, qui ex supina ignorantia vel crassfo aliquo errore peccat. L. 6. §. fin. L. 8. D. de bis qui notantur infam. V. Wefenbec. ad b. tit. n. 4. Excusat ideo causa fatua, XI. SOCIMUM RE COMMUNI AD USUM NON DESTINATUM UTENTEM, Felicius de Societat. C. 20. n. 25. sq. Dn. Fries. de Causa fatua n. 27. & XII. DEPOSITARIUM, qui in re deposita male versatus est, vel eam ad suos usus contrectavit, vel depositum inficiatus fuit, vel ejus restitutionem detrectavit

vit v. Mevius P. 2. Dec. 340. Causa fatua liberat XIII.  
TUTOREM ne in pœnam L. 7. D. Quod falso tut. inci-  
dat. v. Pinellius ad L. 2. C. de R. V. P. 2. c. 3. n. 81.

## §. X.

Causa fatua amplius XIV LIBERAT A MA-  
LA FIDE, bonam enim fidem non solum ex justis, sed  
etiam ex injustis atque temerariis rationibus causari,  
scripsit Baldus post Gloss. in L. 1. C. ubi causa status. vid.  
Tiraquelli Tr. de Pœn. temperand. aut remitt. Causa 43. n. 34  
Farinac. Q. 90. n. 6. Gabriel. I. c. n. 33. & 34. Inferunt  
exinde cauſam fatuam excusare XV. à FRUCTUUM  
RESTITUTIONE. Hos enim ut quis lucretur faciat-  
que suos, dolo careat necesse est, excludit vero hæc cau-  
ſa dolii præsumptionem atque efficit, ne quis malæ fidei  
possessor videatur, quod ad fructuum acquisitionem suf-  
ficit. Vid. Alciatus in L. 90. D. de V. S. n. 2. & 3. Excusat  
præterea causa fatua XVI. FILIUM, ne propter im-  
pugnationem testamenti paterni legitima privetur vid.  
Finckelhaus. Obs. 109. n. 16. XVII. Eum, QUI POSSI-  
DERE DESIT, ne rei vindicatione conveniatur, Mev.  
Conf. 23. n. 31. sq. nec non XVIII. JUDICEM, ne item  
faciat suam. vid. Welenbec. p. 5. Conf. 138. n. 30. XIX.  
MAGISTRATUM, qui pupillis tutorem non dedit, ne  
actione conveniatur, Welenb. Conf. 245. n. 24. XX. JU-  
DICEM à vitio protractæ aut denegatae justitiae. Reusner.  
L. 3. Conf. 5. n. 30. & 67. Dn. Friele Diff. de Causa fatua n.  
27. Causa fatua quoque excusationem præbet XXI. à  
CONTUMACIA & mulcta, quæ propter contumaciam  
imponitur, Farinac. I. c. n. 7. XXII. à MORA. Farinac.  
I. c. n. 11. Excusat iniuper XXIII. VASALLUM, qui re-  
nova-

novationem investituræ intra consuetum terminum à Domino feudi petere omisit, ita, ut vasallus causam fatuam, qua commotus investituræ renovationem haud pe-tiit, allegans atque probans feudo privari haud posit. *vid.* Borcholt, *de Feud.* C. VIII, n. 23. Brunnemann. *Consil.* 8, n. 59. & 60.

### §. XI.

Extendunt porro juris Interpretes nostram regulam ad varia delictorum genera & afferunt: causam fatuam excusare XXIV. à CRIMINE FURTI, *v. Bartolus in L. 46. D. de furt.* Hondæd. *Conf. 105. n. 31.* XXV. à de-licto INJURIARUM; Anton. Gomez. *Var. Resolut.* T. 3. c. 6. *Rubr. de injur.* n. 2. XXVI. in crimine LIBELLI FAMOSI, Bursat. *Confil. 94. n. 12.* Farinac. *Q. 90. num. 38.* XXVII. in CRIMINE ABIGEATUS, per Gloff. *in L. 1. §. fin. D. de abig.* XXVIII. in CRIMINE COLLUSIO-NIS. *vid. Joh. Franc. Andreoli Concl. 66. n. 19. & D. Friese Diss. de Causa Fatua n. 27.* XXXIX. in CRIMINE LÆ-SÆ MAJESTATIS. Menoch. *de Recup. poss. Rem. 5. n. 52.* Dec. *Conf. 605. n. 4.* Farinac. *l. c. n. 26.* XXX. in CRI-MINE HOMICIDI, Hondæd. *l. c. n. 29.* XXXI. PRO-VOCATUM, qui provocantem in duello occidit. Si-chard. *Confil. Criminal.* 8. n. 41. XXXII. in DELICTIS CARNIS, adulterio & incestu, per L. 38, §. 1--8. *D. ad L. Jul. de adulter.* Farinac. *l. c. n. 40.* XXXIII. in CRIMI-NE RAPTUS, Cephal. *L. 1. Conf. 140. n. 31.* XXXIV. in CRIMINE FALSI. Menoch. *l. c. num. 55.* Hondæd. *l. c. num. 29.* qui dicit, hanc esse opinionem communem. XXXV. à PERJURIO, Farinac. *l. c. n. 22.* Menoch. *l. c. n. 55.* Inferunt exinde, causam fatuam excusare XXXVI. à POE-

à POENA L. 41. C. DE TRAÑSACT. vid. Guid. Papa *Conf. 31. n. 24.* Alexand. *L. 1. Conf. 29. n. 13. sq.* Farinac. *l. c. n. 24.* Causa fatua excusat XXXVII. à CRIMINE FRACTÆ PACIS, Cothim. *L. 3. Rep. 2. n. 11.* XXXVIII. à VIOLENTIA ET SPOLIO, Menoch. *l. c. n. 57.* & 58. Hondæd. *l. c. n. 30.* & 37. ubi dicit, quod liberet à pœna L. Jul. de vi publica & privata. Causa fatua patrocinium præstat XXXIX. ei, qui aliquem IN POSSESSIONE REI SUÆ TURBAVIT. Menoch. *l. c. n. 50.* & XL. ei, qui propria autoritate OCCUPAVIT POSSESSIO- NEM REI SUÆ, Menoch. *l. c. n. 48.* & *Remed. 9. n. 44.* Farinac. *l. c. num. 35.* XLI. excusat in VITIO CLAN- DESTINITATIS, Gabriel. *l. c. n. 2.* XLII. à DELA- TIONE ARMORUM, Farinac. *l. c. n. 36.* Causa fatua liberat XLIII. à suspicione seu DELICTO CONVEN- TICULÆ & malæ congregatiōnis, Menoch. *l. c. n. 54.* XLIV. à pœna NON SOLUTÆ GABELLÆ, Fa- rinac. *l. c. n. 15.* XLV. à pœna USURARIÆ PRAVI- TATIS, Sichard. *Confil. Criminal. 8. num. 54.* XLVI. à CRIMINE USURPATÆ JURISDICTIONIS, Giurb. *Confil. 24. num. 24. 29.* & 30. Fries de causa fatua §. 29. XLVII. à CRIMINE PLAGII, Gloff. in *L. 14. C. ad L. Fab. de Plagiar.* XLVIII. à MALITIOSA CONJUGIS DESERTIONE,, Mevius *P. VII. D. 162.*

## §. XII.

Pergo & propono eas limitationes, quibus Brocar. *Limitationes* dicum nostrum restringunt Doctores. Dicunt vero Re- gulam nostram allegari non posse I. in iis casibus, qui sunt PROHIBITI A JURE NATURALI, ita, ut is, qui facit illicitum jure naturali, nunquam excusetur, ne- dum

G

dum propter temeritatem, sed nec propter malitiam, rusticitatem, sexum, aut ætatem, ita ratiocinatur Angelus ad L. 14. C. ad L. Fab. de Plagiar. ita sentiunt alii legum interpres, quos adducunt Gabriel l.c. n. 74. Tiraquell. Causa 43. n. 13. Farinac. l.c. n. 48. II. Idem obtinet in iis, quæ sunt reprobata à JURE DIVINO, Gabriel l.c. n. 76. nec non III. in iis, quæ sunt prohibita JURE CIVILI NOTORIO & indubitate, Menoch. l.c. n. 59. Hondondæd. l.c. n. 58. Bertazoll. L. 2. Consil. 375. n. 15. Doctores limitant brocardicum nostrum IV. quando sumus in casu, IN QUO LEX vel statutum NON REQUIRIT DOLUM, vid. Baldum in L. 14. C. ad L. Fab. de Plagiar. Bartol. in L. 11. D. de acq. vel am. poss. aliosque, quos adducit Farinacius l.c. n. 54. Concludunt ergo Doctores V. causam fatuam non excusare à CULPA LATA, vid. Jason. in L. 11. D. de acq. vel amitt. poss. Tiraquell. l.c. n. 12. Gabriel l.c. n. 77. nec excusationem præbere VI. à DOLO PRÆSUMPTO, vid. Tiraquell. l.c. n. 13. Farinacius l.c. n. 64. Nostrum brocardicum VII. non excusat in iis, QVIBUS A LEGE VEL STATUTO CERTA IMPOSITA EST POENA, quia h. c. justa tantum causa excusat, vid. Jason. in L. 11. D. de acq. vel amitt. poss. aliosque quos allegat Gabriel l.c. n. 79. licet statutum vel constitutio per verba universalia e.g. quoquo modo, quovis modo delinquentem puniat, vid. Menoch. l.c. n. 63. & Farinac. n. 78. VIII. Excusat tantum à pœna corporali, non vero à POENA PECUNIARIA, secundum Bartolum in L. 11. D. de acq. vel am. poss. in fin. num. 4. aliosque quos citat Farinacius l.c. n. 65. & 66. Docent insuper Doctores, causam fatuam excusare IX. à pœna ordinaria, non autem à POENA EXTRAORDINARIA

RIA & Itellionatus, ita ut ista pœna sit arbitraria juxta facti & personæ qualitatem, vid. Menoch. l.c. n. 62. Farinac. l.c. num. 55. Nec liberat causa fatua X. à POENA CONVENTIONALI, Farinac. l.c. n. 74, nec excusat XI. in DELICTIS JUDICIALIBUS, seu in iis, quæ in judicio committuntur, exemplum ponunt in Calumniatore, vid. Baldum in L. 3. C. de Calumniator. Tiraquell. l.c. n. 11. Farinac. l.c. n. 69. Hinc putant: causam fatuam XII. non excusare à CONTEMPTU JUDICIS, Farinac. l.c. n. 72. Nullam insuper regula nostra præbet excusationem XIII. ei, qui VIOLENTIAM CUM ARMIS commisit, & XIV. EI, QUI COGNOVIT CAUSAM ESSE FATUAM, & tamen in illa perseveravit & ex ea deliquit. Gabriel l.c. n. 81. & 88. is enim, qui scienter facit, quod est prohibitum, dicitur esse in dolo & non excusat, vid. Mascard. de Probat. L. 3. Concl. 1157. num. 25. sqq. Afferunt quoque Doctores, Causam fatuam non excusare XV. A TEMERITATE, ejusque poena, vid. Butrigarius in L. 14. C. ad L. Fab. de Pldgiar. aliosque, quos citat Farinac. l.c. num. 56. & XVI. si agatur DE LUCRO CAPTANDO, quia causa fatua tantum excusat, si agatur de damno vitando, Gabriel l.c. n. 84. & denique putant, regulam nostram nullum producere effectum, nisi XVII. ab ea causa, quæ excusationis loco allegatur, OMNIS ABSIT CALLIDITAS, per L. 12. §. 3. D. de lib. causa. Ejusque verba absque calliditate tamen,

## §. XIII.

Quoniam vero dolus potius præsumitur, quam *Causa fatua* quod quis ex injusta atque fatua causa peccaverit, Barto- ab alligante lus in L. 46. §. 7. D. de furtis, Gabriel l.c. n. 71. Doctores probari debet.

concludunt, causam fatuam non excusare, nisi per alle-gantem probetur. Probare vero debet delinquens cau-sam fatuam, qua motus peccavit, fuisse ante delictum, vid. Dec. Conf. 452. n. 11. Menoch. de recuper. posses. Rem. 5. n. 60. Nec sufficit causæ existentiam probare, probare etiam debet delinquens, quod illa causa fuerit motus & propterea crediderit non delinquere, alias enim præsu-mitur dolus & animus delinquendi, & causa fatua nullam præbebit excusationem; vid. Tiraquell. de Pænis temper. causa 43. n. 9. Farinac. Q. 90. n. 82. Sufficit vero ad hu-jus cause probationem semiplena probatio. Quamvis enim aliqui dixerint, quod causa fatua plenè probari de-beat, & quod h. c. requiratur probatio legitima & ea, quæ sit per testes omni exceptione majores, vid. Jacob. Port. Conf. 96. n. 35. Opinio tamen communiter recepta desiderat probationem semiplenam, vid. Menoch. l. c. n. 60. Hinc nonnulli putant, hanc causam posse probari conjecturis & verisimilitudinibus, dummodo sint vehe-mentes atque evidentes, Tiraquell. l. c. n. 9. Hondæd. Conf. 105. n. 33. & 37. quibus concurrentibus juramento ista causa probari poterit, Angel. ad L. 14. C. ad L. Fab. de Plagiar. Carpzov. L. 3. Tit. 12. Reßpons. 112. n. 6. & 7. Zan-ger. de Exception. P. 2. c. 9. n. 12. modo contrajuramentum nulla adsit juris præsumptio, vid. Bertazoli. Conf. 11. n. 21. sed aliæ conjecturæ, quæ pro delinquente militant, con-currant. vid. Hondæd. l. c. n. 36. sqq. & quos allegat.

## §. XIV.

*Uſus Brocaro.* Nihil supereft, quam ut nostri brocardici uſum par-dici apud ve-cis exponam. Hunc apud veteres fuisse maximum, dor-deros & re-cet Bartolus, qui in Comment. ad L. 11. D. de acq. vel amitt. posses.

possit, dicit: *Hoc brocardicum commune advocatorum discentiores, in etiam esse, ostendit Jason, qui in Comment. ad L. un. D. si quis primis apud jus dicenti non obtemp. in fin. monet: Hanc doctrinam mul. Germanos, tum conferre ad evadendum aliquem in causa criminali.* Demonstrant veterum JCTorum scripta tam theoretica, quam practica, nullum enim inter veteres juris interpretes reperies, qui ad hoc non provocaverit brocardicum. Nolo multos allegare, horum enim nomina qui desiderat Tiraquelli *Tr. de Pan. temper. c. 43. num. 2. Farinacii Criminalia Qu. 90. n. 2. sq.* Gabriel. *Comm. Concl. L. 7. de Maleficiis Concl. 8. n. 1.* evolvat. Recentiores vero Doctores hanc Veterum Interpretum doctrinam sequuti, nostroque brocardico saepissime usi sunt. Placuit in primis haec regula Germanis, qui ad eam in Consulis, Responsis, Decisionibusque saepissime provocarunt. Nec miror, hanc doctrinam, quae Italici Doctoribus suis debet natales, tantos in Germanicis Scholis atque foris fecisse progressus. Notum enim est, Germanos olim Italiæ Academias frequentasse, & in iis Jurisprudentiæ studio operam dedisse. Ea, quæ JCTi Italici proponebant, Glossatorum doctrinam sapiebant, quam Germani in patriam reversi propagarunt, Jus Romanum in nostris Academiis ad eam explicarunt, & miras Glossatorum atque aliorum Juris Interpretum regulas in decidendis juris nostri controversiis allegarunt, cumque inter has nostrum brocardicum haud ultimum occupet locum, frequens illius in scriptis nostrorum JCTorum fit mentio.

## §. XV.

Quod assertum ut exemplis illustrem, provoco ad *Varia exempla ex Carpz.*  
*Carpzovii Prax. Criminal. P. I. Q. 39. n. 10. 12. G. 13. ubi no-*  
*G 3* *Philip.*  
*strum Homburg.*

strum allegatur brocardicum & duæ Scabinorum Lipsiensium Sententiae subjiciuntur, quibus incendi reis, se posito ex causa fatua ignis suppicio, gladii pœnam dictarunt. Sic Scabini Lipsienses pœnam perjurii ordinariam relegato perjuro remiserunt, quia allegavit se non scivisse aut intellexisse vim & effectum juramenti aut non probè percepisse verba Sententiae prælectæ. vid. Carpz. Pr. Crim. P. 1. Q. 47. n. 51. & 52. Similiter Scabini Lipsienses putaverunt pœnam parricidii ordinariam cessare, si parricidium in rixa inter fratres & consanguineos exorta, perpetratum sit, vid. Carpzov. Pr. Crim. P. 1. Q. 13. n. 44. Nostro quoque Brocardico usus est Carpzov. P. 4. Conſt. 3. Def. 18. n. 6. nec enim Iudex, inquiens, pœnam alicuius delicti ex justa causa mitigare prohibetur, etiamſi ſit leviuscula, cum & injuſta & beſtialis cauſa delinquentem a dolo excufet, & ideo Scabini Lipsienses putaverunt condonandum eſſe matri, que ſuprum violentum paſſa, poſtea infantem ex ejusmodi ſupro procreatū ne- cavit, ut maculam exiſtimationis averteret, non ut pœna omnis remittatur, ſed tantum modo rigorofum culci ſuppli- cium in mitiorem gladii pœnam convertatur. Ibique præ- jugidia Scab. Lips. Putaverunt quoque Scabini Lipsienses pœnam furti ordinariam eſſe mitigandam, ſi famuli vel ministri, Dominis ſufficienter requisitis ſed malitiofe ſalarium ſolvere recuſantibus, aliquid ſubtraxerint & abſtulerint. Integrum reponſum adduxit Philippi Uſu- pract. Inſt. L. 4. Eclog. 5. n. 11. add. Carpz. P. 4. Conſtit. 38. D. 2. Adduxit quoque Philippi I. c. L. 1. Eclog. 18. Reponſum Scabinorum Lipsiensem, quo ruſtici, præ- terito militari tempore, qui a militibus bene vexati bo- nisque exuti, alios milites, qui ipſos tamen non offendebant,

derant, videntes, eosdem animi rancore moti trucidarunt, vix poena in homicidas statuta ordinaria affecti, sed initius puniti sunt, subveniente illis vulgato Docto-  
runi Brocardico: Quod quævis causa bestialis & fatua  
a dolo excuset delinquentem. Allegavit I. c. simile re-  
sponsum JCTorum Jenensium. Eodem quoque Bro-  
cardico usū sunt JCri Helmstadienses, & propterea con-  
currentibus aliis causis, eos, qui transfugas spoliārunt,  
à poena rapinæ ordinaria absolverunt vid. Homburg.  
Resp. 104. n. 13. sg.

## §. XVI.

Plura coacervare possem exempla. Verum enim Tabor, Reb-  
vero ea, quæ adduxi Brocardici nostri usum evidenter han, Zilesius  
ostendunt; qui licet sit haud exiguis, alii tamen hujus brocardicum  
regulæ justitiam atque veritatem in dubium vocaverunt, nostrum reje-  
Inter hos primum attribuo locum, JOH. OTTON. TA- cerunt.

BORI, Jcto Germaniae celeberrimo, qui in Armamentar.  
Justinianeo p. 223. Brocardicum nostrum barbarum nominat  
atque rejicit, quia eo admisso, nullum amplius capitale cri-  
men numerabatur aut plectetur; ecquis enim reorum, in-  
quit, non poterit aliquam fatuam & bestiale causam scele-  
ri suo pretendere? At enim sententia tam barbara non po-  
tuit placuisse Ulpiano, qui in d. L. 12. §. 3. (1.) non agit de ex-  
cusatione a crimine & turpitudine naturali, sed de defensio-  
ne & adsertione libertatis, cuius ubique favor est maxi-  
mus, (2) non admittit causam fatuam, sed probabilem & bo-  
na fide subnixam. Duo enim extrema & unum medium pro-  
ponit. Extrema duo dolum manifestum & causam justissi-  
mam: medium causam quidem, non jure iurili justam; sed  
jure tamen naturali probabilem: quia scilicet omnes liberi  
nasci-

nascimur & ad priorem adeo conditionem in dubio redigi-  
muri aut reducimur. De eadem bona fide loquitur Ulpianus  
in altero textu L. 46. §. 7. de furt. cum scilicet quis ex causa  
verosimili putavit dominum consensurum in rei sue contrec-  
stationem, puta, si quis antea habuerit jus re aliena utendi  
Bach. 2. Disp. Treutl. 30, th. I. l. e. Quale ergo hinc argu-  
mentum exstruas, ut causa fatua & bestiali locum in excusa-  
tione criminum pares? quid quod (3) causa brutalis & be-  
stialis revera nulla est, cum bruta ratione omni fere discursu  
mentis ratiocinandi desituantur L. 1. §. 3. D. si quadr.  
paup. fec. dic. Imo ipsimet doctores hoc postulatum cum  
demum admittunt, quando quis non errat circa ea, que sunt  
juris naturalis. &c. Hunc excipiat JOHANNES REBH-  
ANIUS, JCTus Argentoratensis, qui regulam nostram non  
solum in Hodie. Jur. p. 882. tb. 24. rejicit, sed & auditio-  
ribus suis saepe professus est (ut refert Zillesius de mul-  
ta C. 12. n. 110) dictum illud fundari in magno illo vo-  
lumine, de quo Zacharias Propheta C. V. §. 2. & 3.  
quod omnes fures & perjuros absolvit & probitatis lau-  
de maestat. Tandem CASPAR ZILLESIUS. Consiliar. Palat.  
Sponheim. Taboris & Rebhani vestigiis infistens, no-  
stram regulam impugnavit & iisdem, quibus Tabor-  
us est rationibus, contrariam opinionem probavit, ad-  
dens, quod jura civilia in criminibus non colores, sed justas  
rationes desiderant, per text L. 1. §. 4. de abig. vid. Tr. de  
Multis & multandi jure C. XII. n. 123 sqq.

## §. XVII.

Friese como-  
munem op-  
nionem con-  
tra Taborem dicum defendere voluit JCTus laude mea major D.  
JOH. BERNHARD FRIESE in Diff. de Causa fatua §. VII. Ubi  
defendit.

Taboris rationes examinans, dicit. Ut ut opinio negativa (Taboris) aliquam veritatis speciem praeserre videatur, nihilominus ideo Brocardicum appellari barbarum non meretur, neque, eo admisso nullum amplius capitale crimen numerabitur aut plectetur, neque liberabit reos ea de causa, quod norint aliquam fatuam & bestialem causam sceleri suo pretendere, cum & requiratur, fatuam eiusmodi causam vere adfuisse, & propter eam quoque egisse; bene Card. Tuscb. ut iusta causa excusat, debet nedum allegari, sed probari, alias namque dolus potest habere locum Concl. 152. n. 75. lit. C. que sententia, quod si iam barbara, ut non potuerit placuisse Ulpiano, non cerno. Imo omnino L. 12. §. 3. ff. de lib. caus. probari eam oppido liquet: siquidem de excusatione a dolo agat, sique etiam a crimine & turpitudine naturali, et si excusatio hac tendat ulterius ad defensionem libertatis. Quod vero non probabilem duntaxat rationem, sed etiam fatuam admittat, non potest non inde liquere, quod justas & non justas accipiat rationes; ad has vero probabiles unice causas spectare terminorum amplitudore reluctatur. Quod aque ad L. 46. §. 7. D. de furt. applicare licet. Quia ibidem sive falso sive vere putet, dominum consensum, nihil interest. Quod vero nulla ratio bestialis vel brutalis sit, quia bruta ratione carent, est jus calumniari, & verba captare, non, qua mente quid dicitur, aemadverte-re. Non enim bestialis & brutalis causa ea dicitur, qua cum brutis est hominibus communis, vel qua in brutis solum reperitur, sed qua justa haud est, sed non justa; qualem causam dari, quamvis bruta ratione careant, ICtus in L. 12. §. 3. ff. de lib. caus. respondit. Quod vero ipsimet Doctores hoc postulatum indistincte tum demum admittant, quando quis non errat circa ea, que sunt juris naturalis, deslituitur ve-

ritate. Doctorum hoc brocardico utentium quosdam in banc venisse opinionem fateor, sed hanc pauciores, multos minimum illud satis probabiliter ad omnia delicta extendere, scripta ICtorum perscrutantes non poterit latere. Hæc Fri-sius. Cujus rationes an omni exceptione sint majores & an commune Brocardicum analogiæ juris & Doctri-næ veterum Prudentum conveniat, paucis disquiram.

### Caput III.

## EXAMEN BROCARDICI VUL-GARIS: CAUSA FATUA EXCUSAT A DOLO,

### §. I.

*Nevi brocar-dicē nostri.* **I**n generalia juris brocardica, quæ ex unica facti specie seu ex singularis casus decisione temere à Doctribus sunt composita, haud ultimum occupat locum vulgare brocardicum: Causa fatua excusat à dolo. Ostendunt enim ea, quæ supra de origine huius regulæ docui, illam ex L. 12. §. 3. D. de liberal. caus. contra mentem Ulpiani esse deductam. Quemadmodum vero nihil in jure ineptius & perniciosius, quam singularis aliquibus casus decisionem ad alia & à casu deciso plane diversa negotia applicare, vel ex speciali aliquo casu generali deducere regulam, ita merito culpo Glossatores, qui singularis casus, ab Ulpiano propositi decisionem ad alios extenderunt casus, magis vero improbo atque reprehendo conatum subsequentium Doctorum, qui

qui ex hujus specialis casus decisione & inepta ejus ad alios casus extensione generalem regulam formare, eamque contra Ulpiani mentem & Glossatorum intentionem ad omnia ferè delicta extendere voluerunt. Sic uti vero hæc doctrina non convenit analogiæ juris, ita regula ex ea deducta sua sponte corruet, in primis cum limitationes, regulæ subjectæ, regulam absumere atque absorbere videantur. Quod ut clarius demonstrem, nostrum brocardicum ejusque veritatem ac justitiam sedulo perquiram, atque ostendam: Brocardicum nostrum non convenire doctrinæ veterum Prudentum, analogiæ juris, naturæ doli; sed esse injustum, perplexum, ineptum, inutile, & ut multa paucis dicam, fatuum,

## §. II.

Nego vero causam fatuam excusare à dolo, quia ea est natura atque indoles doli, ut nullam excusationem admittat, dolus enim presupponit animum atque propositum malevolum, & latè acceptus nihil aliud est, quam læsio alterius facta ex proæfisi h. e. à scientे & volente. *vid. Dn. Präf. Not. ad Straub. Diff. 19. tb. 4. pag. 211.*

Ubi itaque adeat propositum, proæfisis & animus alterum lœdendi atque decipiendi, & ubi hoc propositum ex indiciis perspicuis (ut loquuntur Imperatores L. 6. C. de Dolo malo) probatur, ibi nulla excusatio locum habere potest, partim quia indicia doli perspicua per contrariam probationem tolli atque removeri non possunt, partim quia jura decipientibus non subveniunt, iisque, qui ex proæfisi peccant, non opitulantur, L. 9. §. 2. & L. 27. D. ac Minor. L. 2. §. 3. & L. 30. D. ad Sct.

H 2

Veltej.

*Causa fatuæ  
non excusat  
à dolo, quia  
1) à dolo nul-  
la est excu-  
satio.*

Vellej. L. 1. C. si adv. delict. L. 2. C. si minor se major. dix. Quibus adde: excusationem esse remotionem criminis vel delicti objecti, quæ vero cessat nec locum habet, si crimen idoneis testibus, vel apertissimis documentis, vel in-diciis ad probationem indubitatis & luce clarioribus, (vid. L. ult. C. de Probat.) probatum fuerit.

### §. III.

2) *Causæ ex-  
cusationum  
debent esse  
justæ.*

Et licet non negem, dari casus, in quibus indicia vel præsumtiones doli contra aliquem militantes per allegationem atque deductionem causæ contrariæ dilui & removeri possunt. Nego tamen, causam fatuam eam habere vim eamque potestatem, ut præsumtiones doli tollere posse, causa fatua enim repugnat dictamini rectæ rationis, adversatur legibus ac præceptis justi & æqui; causæ vero excusationum debent esse justæ ac Legibus adprobatae, quæ qualitas cum causæ fatuæ atque injunctæ attribui haud posse, eam inter spuriæ atque falsas excusationum causas meritò numero atque pono.

### §. IV.

3) *Causa fa-  
tua absque  
dolo concipi  
vix posse.*

Consideres porro, quod is, qui causa fatua motus aliquid committit vel omittit, in dolo esse videatur, quia rei illicitæ dat operam & causam sanæ rationi & legibus contrariam sequitur. Si enim ea, quæ de actionum iustitia atque injustitia in L. 15. D. de Condit. Institut. definit Papinianus: *Quæ facta, inquiens, ledunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram & contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est, vera sint, ac in dubium vocari non possint, existimo, idem dicendum esse de causis actionum impulsivis, ita, ut causam actionum im-*

impulsivam, quæ lœdit pietatem, existimationem & verecundiam nostram, ac contra bonos mores est, sequi haud debeamus, & qui eam sequitur, rei illicitæ operam dare ac in dolo esse videatur. Cum enim quilibet sana ratione sit prædictus, atque sciat vel scire possit, quid sanæ rationi conveniat, vel non conveniat, insuper ignorantia juris tam naturalis, quam civilis neminem excusat, quia jus finitum est, L. 2. D. de jur. & fact. ignorant. L. 12. C. eod. & leges sacratissimæ, quæ constringunt hominum vitas, intelligi ab omnibus debent, ut universi præscripto earum manifestius cognito vel inhibita declinent, vel permitta secessentur, L. 9. C. de LL.; causa fatua neminem excusare potest, in primis in iis casibus, qui dolum vel læsionem alterius presupponunt. Qui itaque causam fatuam tanquam causam actionum impullivam allegat, allegat propriam turpititudinem & fatetur, quod causam in justam sequutus sit, & rei illicitæ operam dederit. Quod cum ita sit, non video, qua ratione causa fatua facilitati, incuriae & inconsulto agentis calori solum attribui, & tanquam legitimum remedium ad elidendam doli præsumptionem commendari possit.

## §. V.

Ea, quæ adduxi, argumenta confirmet Ulpianus, 4) *Hæc sententia non tentia non*  
*qui justam atque adprobatam causam ad elidendam do-*  
*li præsumptionem requirit. Adponam verba L. 5. pr. convenit De-*  
*D. de Servo corrupto: Doli verbum ait Ulpianus, etiam Crina Uli-*  
*ad eum, qui recepit, referendum est, ut non alius teneatur, pianis.*  
*nisi, qui dolo malo fecerit. Ceterum si quis ut Domino cu-*  
*pidiret, recepit, vel humanitate, vel misericordia ductus, vel*  
**ADPROBATA ATQUE JUSTA RATIONE. non tenebitur.**

H 3

De-

Desumptam esse hanc legem ex Libr. 23. Ulpiani ad Edictum, inscriptio docet. Explicat vero JCtus d. l. partem Edicti in L. I. pr. D. de Serv. corrupt. propositi & quærit: An is, qui servum alienum recepit h. e. refugium abscondendi causa servo præsttit, vel in agro suo, vel in alieno loco ædificiove L. I. §. 2. d. T. de dolo teneatur? Respondet JCtus, eum, qui dolo malo alterius servum recepit, hoc Edicto teneri, eum vero, qui justam atque adprobata causam allegare potest, qua commotus recepit, de dolo non teneri. Quemadmodum vero JCtus in adductis verbis causam justam atque adprobata dolo opponit, eumque qui justa atque adprobata causa servum alienum recepit, à dolo excusat, ita exinde sua sponte fluit, nullam aliam, quam justam atque adprobata causam dolii præsumptionem elidere. Idem quoque asserit Ulpianus in L. 3. §. 4. D. de homin. lib. exb. ubi Edictum Prætoris: Quem liberum dolo malo retines, exhibeas; v. L. I. d. t. interpretatur, varios causas, in quibus retinens in dolo non est, adducit, ac tandem concludit: & generaliter qui JUSTAM causam habet hominis liberi apud se retinendi, non videtur dolo malo facere. Quæ verba docent, eum, qui ex justa causa liberum hominem apud se retinet, dolo malo haud facere, nec præsumptionem dolii per causæ injustæ allegationem removeri, quia is tantum videtur carere dolo, qui justa causa motus hominem liberum apud se retinuit. Clarus hoc ab Ulpiano exprimitur in §. 5. d. l. si quis volenter retineat, non videtur dolo malo retinere, sed quid si volentem quidem retineat, non tamen sine calliditate circumventum vel seductum vel sollicitatum neque BONA ET PROBABILI RATIONE hoc facit? Recte dicetur dolo malo retinere,

nere. In quibus verbis JCtus requirit bonam atque probabilem rationem h. e. justam & Legibus adprobatae ad id, ut quis a dolo excuserur; si vero causa, quæ a dolo excusat debeat esse justa, adprobata, bona, concludo: causam injustam, reprobata, malam, & ut omnes unico includam verbo, fatuam a dolo excusationem haud præbere.

## §. VI.

Quibus ex natura atque indole doli & ex doctrina veterum Prudentum præmunitis, examino ea argumenta, quæ causæ fatuæ patroni pro stabilienda communi opinione adducunt, easque responsiones, quibus leges Ulpiani excipiunt, haec vero responsiones ita sunt comparatae, ut adductam Ulpiani doctrinam tacite approbent. Audias Tiraquellum, qui in *Tr. de Pœnis mitigand.* *Caus. 43. n. 10.* allegatas leges adfert, ponderat, & addit. *Cogita, quid bis respondeas, præterquam, si dicas non omnino excusare, i. e. à toto, sed à tanto, seu, ut Menochius de Recuperand. possess. Rem. 5. n. 62.* hoc exprimit *Causam levem excusare a dolo, ne is delinquens pœna puniatur ordinaria & in totum, non excusare tamen, quin aliquo modo plegetur.* Add. Farinac. *Crimin. Q. 90. n. 2.* Bargal. *de Dolo L. VI. Reg. 13. n. 8. & 9.* Verum enim vero haec responsio communem doctrinam & ex ea formatam regulam non firmat, sed restringit, imo plane destruit; exhibet enim limitationem quæ regulam generalem absorbet atque absunit. *Quemadmodum vero haec limitatio analogiæ juris non convenit, ita doctrinam Ulpiani, quæ communem Doctorum opinionem destruxit &*

*Examinatur  
Tiraquelli  
responsio ad  
all. Ulpiane  
Leges.*

ever-

evertit, haud infringet, multo minus argumenta ex ea deducta removebit.

## §. VII.

D. Frisi Re-  
sponsio ad L. respondet Dn. Frisius in Diff. de Causa fatua §. 20. Putat  
scilicet vir doctissimus ex L. s. pr. D. de serv. corr. neutri-  
quam convinci, quod causa fatua à dolo non excusat,  
pugnare potius doctrinam Ulpiani pro communi opi-  
nione, quod ut demonstrat, addit: Nam satis diserte  
Ulpianus à dolo liberat eum, qui humanitate vel misericor-  
dia ductus vel approbata atque justa ratione servum  
alterius recepit, adeoque non solum justa ratione excusa-  
tur, sed quoque non justa, quia misericordia non conti-  
netur sub causa approbata & justa, qnod non duntaxat par-  
ticula vel, qua disjunctiva est, demonstrat, sed & alias id  
perspicuum est, cum is, qui misericordia ductus agit, etiam  
delinquere possit. Sic si quis misericordia ductus servum  
compeditum solverit, ut fugeret, in factum actione tentur  
§. ult. J. de L. aquil. L. 7. §. 7. D. de dolo malo, L. 14. §. 2. D.  
de custod. neque etiam dolus est dd. text. Sed hæc de-  
monstratio non est omni exceptione major, falsum enim  
est præsupposi- u : misericordiam hoc loco non contineri  
sub causa adprobata atque justa, cum non solum con-  
textus allegatae Legis doceat, misericordiam ab Ulpia-  
no inter causas justas referri, sed & Ulpianus alibi mi-  
sericordiam intempestivam h. e. eam, quæ in alterius  
læsionem vel damnum exercetur, inter causas injustas  
& dolo proximas retulerit L. 7. pr. D. deposit. Quod cum  
ita sit, contrarium ex adducis a Dn. Friso rationibus  
probari haud potest. Argumentum enim ex allegata par-  
ticula

ticula VEL, quam disjunctivam esse contendit, plane non stringit, nec ex hujus particulæ usu concludere possum, Ulpianum d. i. justas ac injustas proposuisse causas, contrarium evincit ipse textus, qui justas & adprobatas sistit atque enumerat causas. Objicis, quod is, qui misericordia ductus agit, etiam delinquere possit. Respondeo: Potest quidem delinquere is, qui misericordia ductus agit, nego vero, quod semper delinquit, exempla atque leges à Dn. Frisio adductæ nihil probant, quia misericordiam intempestivam, quæ dolo est proxima, præsupponunt, & insuper specialis casus decisionem continent, ex qua thesis generalis formari nequit.

## S. VIII.

Pergit Dn. Fries & ad L. 13. §. 4. & 5. D. de bo-  
mine liber. exhib. respondet. Nec majus alteri argumento D. Frisi Re-  
sponsio ad L.  
inest robur, neque comprehendo, quomodo legitime infera- 3. §. 4. & 5.  
tur ex L. 3. §. 4. D. de homin. lib. exhib. non videtur dolo ma- de hom. lib.  
lo facere, qui justam causam habet homini liberi apud se exhib.  
retinendi, tanquam sit secus, si injustam causam habeat. Sed  
omnino fecus est, partim, quia magna inter causam ju-  
stam & injustam est differentia, partim, quia Ulpianus  
causæ justæ solum mentionem facit, & per hujus allega-  
tionem causam injustam excludere videtur, explicat enim  
in L. 3. ejusque §. 3. sq. D. de hom. lib. exhib. quis in dolo malo  
sit, adducit varia exempla eorum, in quos doli præ-  
sumptio cadere non potest, & tandem generaliter defi-  
nit, qui justam retinendi causam habet, non videtur do-  
lo malo facere. Quemadmodum vero is, qui justa cau-  
sa motus egit, in dolo esse non videtur, ita adducta Ul-

I  
pia-

piani definitio communi Doctorum opinioni, quæ cau-  
ſæ injustæ eundem effectum attribuit, quem Ulpianus  
cauſæ justæ adscribit, omnino contradicit, & ideo ex dicta  
definitione legitimè infertur atque concluditur: causam  
injustam a dolo non excusare. Corruunt itaque ea, quæ D.  
Friese porro adducit argumenta: *Nam hoc, inquiens, ar-  
gumentandi genus Dialectici omnino improbat, imo illatio-  
nem nullius momenti esse sufficienter L. 12. §. 3. D. de lib. caus.  
demonstrat.* Quia Ulpianus in d. L. 12. non docuit, inju-  
stam causam excusare à dolo, sed non justam causam  
removere doli præsumptionem, magna vero inter in-  
justam & non justam agendi causam est differentia *v.*  
*§. seq.* quam D. Friese haud observavit, sed causam non  
justam cum injusta confudit, addens: *ex qua constat, non  
valere: justa causa excusat, Ergo non justa non excusat.* De  
causa enim non justa non est controversia, sed de caufa  
injusta, h. e. ea, quam Leges reprobant & rejiciunt.  
Quod vero conclusio: causa justa excusat a dolo Ergo  
causa injusta non excusat, vera sit, docet Ulpianus in §.  
5. d. l. 3. de hom. lib. exhib. ubi dicit, quod is, qui non bona  
& probabili ratione servum retinet, recte dicatur dolo  
malo retinere. Exciplunt vero hæc verba regulam ge-  
neralem in fine §. antecedentis ab Ulpiano propositam &  
per modum illationis ex antecedentibus deducta esse vi-  
dentur. Quod cum ita sit, non obstant ea, quæ D. Fri-  
se ulterius objicit. *Neque hoc expressius in §. seq. s. exten-  
ditur, nam & in eo præter bonam fidem & justam causam*  
*alterius vers. PROBABLEM sit mentio.* Per causam  
enim probabilem, cuius mentionem facit JCtus, intelli-  
gitur causa justa & Legibus approbata. Probabile  
quippe in jure nostro sæpe id denotare, quod justum &  
Legi-

Legibus consentaneum est, innumeris fere exemplis probari potest. Sic in L. 14. C. de jure dot. dicitur: Quod mater non cogatur pro filia dotem dare, nisi ex magna & probabili h. e. Legibus adprobata vel lege specialiter expressa causa, & in L. 4. C. de Nupt. liberi concubinas parentum suorum uxores ducere non possunt, quia minus religiosam & probabilem h. e. Legibus non consentaneam rem facere videntur. add. L. 4. C. de testam. milit. L. 22. §. ult. C. de jure delibet. Et Dn. Ludovici Disp. de Probabilitate C. 1. §. 22. ubi alia exempla ex Pandectis adduxit. Ex his vero, quæ haec tenus dixi, apparet, ultimum D. Frisia argumentum esse exigui ponderis, addit enim: & quamvis hoc non fieret, conclusio tamen inde deducitur omnino vacillaret, cum non videam, quomodo vacillare possit conclusio, quæ analogiæ juris, Doctrinæ veterum Prudentum, ac naturæ Doli convenit, & ex principio firmo atque à nemine in dubium vocato per legitimam illationem deducitur.

## IX.

Progedior ad fundamenta Brocardici nostri, & Responso ad ad eas juris Civilis Leges, ex quibus Doctores regulam L. 12. §. 3. D. vulgarem partim derivant atque deducunt, partim probabant & confirmant, simulque ostendo, eas à Dd. ad corroborandam communem doctrinam & inde formatum brocardicum perperam allegari. Quod itaque attinet ad L. 12. §. 3. D. de lib. caus. (ad quam omnes fere Doctores provocant) notandum est: Hanc legem ex Libr. 55. Ulpiani ad Edict. esse desumptam & cohærente cum Lege 10. D. eod. Inquirit scilicet Ulpianus l. c. occasione Edicti Praetorii, quid sit sine dolo malo in libertate fuisse, allegat I. 2. opinio-

opinionem Juliani, dicentis: *quod omnes, qui se liberos putant, sine dolo malo in libertate sint, si modo se pro liberis gerant, quamvis servi sint.* Adducit sententiam Vari, qui putat, *eum, qui se liberum sciat, dum in fuga sit, non vide ri sine dolo malo in libertate esse, sed simul acsi deserit quale fugitivus se celare, & pro libertate agere, tunc incipere sine dolo malo in libertate esse, is enim (addit Varus) qui scit se liberum, deinde pro fugitivo agit, hoc ipso, quod in fuga sit, pro servo agit.* Ulpianus in L. 12. (nam lex II. inepte est interjecta,) judicium suum interponit, atque dicit: *liberum posse dolo malo in libertate esse, & servum posse sine dolo malo in libertate esse,* illustrat thesin priorem per exemplum in §. 1. b. l. adductum, posteriorem vero in §. 2. reddit clariorem, & denique addit regulam, ex qua dijudicari potest, an quis sine dolo malo in libertate fuerit: *& generaliter dicendum est, quoties quis iustis rationibus ductus vel non iustis, sine calliditate tamen, putavit se liberum & in libertate moratus est, hunc in ea causa esse, ut sine dolo malo in libertate fuerit:* Quo vero pateat, quæ sit vera atque genuina mens ac sententia adductæ regulæ, inquirendum est, quid ICtus h. l. intelligat per rationes justas & per rationes non justas. Puto autem ICtum per rationes justas intelligere, rationes lege adprobatas, seu eas, quæ sanæ rationis dictamini & justitiæ præceptis convenient, quicquid enim lex adprobat, hoc iustum dicitur. Huic opponitur iustum quod rectæ rationi & Legibus repugnat ac adversatur. Sicuti vero inter iustum & iustum est medium quodam, quod dictamen rectæ rationis vel lex neque adprobavit neque reprobavit, ita illud a ICto indigitur per verbum

bum non justum. Notum quippe est, negationem aliquando æquipollere affirmationi, aliquando valere plus, sæpe etiam minus valere, & medium quiddam significare. Exemplis rem declaravit Faber in *Thesaur. Erudit. Scholast. verb. Non.* Addam alia. Prodesse & nocere sunt duo contraria, quæ tamen medium quoddam habent, non prodesse, hoc est, neque lucro afficere, neque damno eximere. *Vid. Cujac. L. V. Obs. c. 39.* Velle est desiderium suum claris verbis exprimere, vel aliquid jubere; Nolle est aliquid repudiare vel expresse prohibere. Non nolle est pati tantum, vel scire & non protestari ac contradicere, & sic medium quoddam inter velle & nolle constituit, *vid. L. I. §. 3. D. de Tributor. a. Et. ibique Gothofr. in not. Lit. G.* Cave ergo putes, nullam inter in justum & non justum esse differentiam, argumenta enim adducta & exempla ex legibus proposita contrarium evincunt, ex quibus conclude: Ulpianum per causam non justam intellexisse causam medianam inter justam & injustam, vel tamē, quam Leges neque adprobarent, neque reprobarunt. Nec absque ratione Ulpianus addidit verba *sine calliditate tamen*, per quæ omnem dolum, fraudem, malitiam excludere voluit, ita, ut & hæc verba docere possint, *J. Ctum l. c.* per causam non justam intellexisse causam, quam Leges non improbant, cum nemo causam injustam absque dolo vel calliditate sequi possit. Quemadmodum vero, ex his, quæ de genuino hujus legis sensu afferui, apparet, Ulpianum in ea nullam causæ injustæ mentionem fecisse, ita Doctores hoc effatum, quod de defensione & assertione libertatis agit, ad delicta aliosque casus inepte extenderunt, & inde brocardicum generale contra mentem Ulpiani elicuerunt,

## §. X.

Respondetur  
objectionibus  
Dn. Friesi

Quod cùm ita sit, sua sponte corrunt ea, quæ D. Friese Tabori opposuit. Dicit autem in *Diss. de Causa fatua* §. 7. Qua sententia quod sit tam barbara, ut non potuerit placuisse Ulpiano, non cerno. Cernere vero hoc potuissest Doctissimus Friesius, si textum Ulpiani & quæ Tabor in eum commentatus est, attentius consideraslet. Docet nempe textus, Ulpianum decidisse quæstionem, ab illa quam nostrum præsupponit-brocadicum plane diversam. Broadicum enim nostrum generaliter de dolo ejusque excusatione agit, Ulpianus casum plane speciam levem ventilat. Broadicum sifit causam fatuam, sanamenti & legibus disconvenientem, Ulpianus causam proponit non justam. Sicuti vero ea, quæ supra exposui, declarant, maximum inter non justum & fatuum esse differentiam, ita valde dubito, an ea, quæ D. Friese l. c. adducit, sint vera: *imò omnino L. 12. §. 3. ff. de lib. causa probari eam oppidò liquet, siquidem de excusatione à dolo agat, sicque etiam à crimine & turpitudine naturali, et si excusatio bactendat ulterius ad defensionem libertatis.* Supra oftendi, Ulpianum docuisse, quid sit in judicio liberalli sine dolo malo fuisse, & tenor legis demonstrat, agi in ea de defensione libertatis, à defensione verò libertatis ad excusationem à criminibus & turpitudine naturali non valere consequentiam, nemo non vider. Reliqua quæ à Dn. Friesio adducuntur, *Quod vero non probabilem duntaxat rationem, sed etiam fatuam admittat, non potest non inde liquere, quod justas & non justas accipiat rationes, ad has vero probabiles unicè causas spectare, terminorum*

*norum amplitudo reluctatur*, per ea, quæ supra §. 9. adduxi, satis refutantur.

## §. XI.

Quod attinet ad L. 46. §. 7. D. de furtis, observavit *Responso ad* jam Tabor loco supra c. 2. §. 16. adducto: Ulpianum in *L. 46. §. 7. D.* ea quoque de bona fide loqui. *Quæritur scilicet, an is, de furtis.* qui sive vere, sive falso putavit, se domini voluntate rem attingere, fur sit? Respondet JCitus neg. quia is, qui probabili causa ductus, credidit dominum consensurum, & rem alienam contrectavit, fraudandi animum & furiandi propositum non habuit, cum is demum fur sit, qui abstulit atque contrectavit, quod invito domino se facere scivit, *L. 1. §. ult. L. 76. D. de Furtis.* Quemadmodum vero ex his, quæ adduxi, sua sponte fluit, quod is, qui putavit se rem domini voluntate attingere non sit in dolo, sed re bona fide utatur, bona insuper fides à causa fatua differat, ita ex hac Ulpiani decisione brocardicum nostrum vix probabitur. Nec contrarium cum D. Frisio l. c. concludi potest ex verbis Ulpiani: *Sive falso sive vere putet.* Licet enim concedam, quod is, qui causa falsa ductus putavit dominum consensurum, & rem alienam contrectavit, fur non sit, nego tamen, quod conclusio D. Frisii sit vera, E. causa fatua excusat à dolo, cum inter causam falsam atque fatuam magna sit differentia & ab ilia ad hanc argumentari non possimus.

## §. XII.

In *L. 7. §. 4. D. de Jurisdic*t*e*, quatuor proponuntur *Responso ad* causæ, ob quas Edictum Prætoris pr. b. L. adductum locum *L. 7. §. 4. D.* non habet, imperitia, rusticitas, jussus Prætoris, & casus. *Jurisdic*t*e*

Hic

Hic itaque Ulpiani textus ad corroborandum nostrum brocardicum allegari nequit, partim quia brocardicum nostrum est generale, & quamlibet causam injustam, fatuam &c. præsupponit, partim quia JCtus l.c. communis Brocardico contradicit, inepte enim quatuor tantum allegasset causas, si verum esset, quod quælibet causa etiam fatua excuset à dolo.

### §. XIII.

*Resp. ad 25. §. 6. D. de heredit. petit. ex cuius ultimiis verbis: non puto esse prædonem, qui dolo caret, quamvis in jure errat, nostrum brocardicum deducunt Bargalius aliique Legum Interpretes. Sed ut verum fatear, non video, quomodo hoc Ulpiani effatum nostram corroborare possit regulam. Nam Ulpianus l.c. alium & à nostro brocardico plane diversum decidit casum; interpretatur scilicet verba Senatusconsulti, quæ ex L. 20. §. 6. D. d. T. apponam: Item eos, qui bona invadissent, cum scirent, ad se non pertinere; etiam si ante litem contestata fecerint, quo minus possiderent, perinde condemnandos quasi possiderent; & querit, an verba: Scire ad se non pertinere, etiam ad eum spectent, qui in jure erravit, e.g. si quis testamentum, quod inutile ob defectum solennitatum, recte factum putavit & ideo bona hæreditaria invasit, tanquam prædo pena SCto ordinata afficiendus sit? Respondet: Eum non esse prædonem, qui dolo caret, & in jure errat. Mens enim atque intentio de prædandi & aliena bona invadendi prædonem constituant, non vero error juris, qui cum animo nocendi nihil commune habet, præsumendum quippe est, eum, qui ex solo errore juris absque dolo aliena invasit bona,*

in-

invasurum non fuisse, si in jure non errasset. *vid. Ant. Faber. in Rational. ad D. b.* Vera itaque sunt, quæ Ulpianus dixit, brocardicum autem nostrum non confirmant. Hoc sicut causam fatuam, Ulpianus errorem juris. Regula nostra est universalis omnia ferè respiciens crimina, doctrina Ulpiani exhibit decisionem quæstionis plane specialis, Brocardicum nostrum præsupponit dolum, Ulpiani effatum omnem dolum excludit. Plura non addo, hæ enim differentiæ docebunt, eos fumum vendere, qui ex all. Legis verbis nostrum deducere vel corroborare volunt brocardicum.

## §. XIV.

Idem dicendum esse arbitror de eo, quem Tiraquelius commendat textu L. II. §. 10. *D. de Interr. in jur. fac.* Præsupponit nempe allegatus textus justum errorem facti, causam, ab ea, cuius regula nostra mentionem facit plane diversam. Nam Brocardicum nostrum agit de excusatione à dolo, textus Ulpiani vero venia dignum æstimat eum, qui justo errore ductus se heredem negavit, quia is, qui justo errore ductus aliquid affirmat vel negat, dolo carer; licet enim in re ipsa mendacium aliquod subesse videatur, nullum tamen mentiendi propositum, nullus dolus in respondentे adeſt, cessante vero dolo, cessat poena. Ei itaque succurrit Prætor, qui ex justo facti errore se heredem negavit, cum error vel ignorantia facti excusat. *L. 9. D. de Jur. & fact. ignorant.* add. *L. II. §. 8. de Interr. in jur. fac.*

*Reſp. ad L. II.  
§. 10. D. de  
Interrog. in  
jur. fac.*

## K

## §. XV.

## §. XV.

*Roff. ad L. II.* Multo minus brocardicum nostrum probabitur ex *L. II. §. II. D. de Interr. in jure fac.* Quæritur enim: An is qui testamenti tenorem haud habuit cognitum & coram Prætore ex aliena relatione nondum inspectis tabulis heredem se esse negavit, ex responsione sua se obligare possit, ita, ut interrogatoria actione exinde conveniatur? Ulpianus eum absolvit, quia dolo caret & faltem in culpa est, quod majorem haud adhibuerit diligentiam atque curam in explorandis iis, quæ testamento scripta sunt. Notum est, quod is, qui in jure interrogatus respondet, mentiendo sese oneret, *L. 4. D. de Interr. in jur. fac.* & in mendacii vindictam perinde ex sua responsione conveniri possit, acsi verum respondisset, *L. II. §. I. & 4. d. T.* Cefsat vero hæc dispositio in eo, qui intentionem fraudandi & decipiendi non habet, sed ex falsa alterius relatione coram Prætore ea proposuit, quæ veritati haud conveniunt, nulla enim fallendi intentio, nullus dolus adfuit, sine quo mendacium concipi haud potest, *L. II. §. I. D. de Dolim. except.* Poties ex dictis pro nostro brocardico concludere, si is qui culpa absque dolo malo in jure respondit, ex responsione sua non teneatur, à dolo quoque excusandus erit, qui causam fatuam, qua motus peccavit, allegare potest. Sed cave ne ita concludas, cum hæc conclusio non sit omni exceptione major. Interrogatoriaz enim actiones à Prætore eam ob causam sunt propositæ, ut veritas ex ore adversarii eruatur, *L. I. & 2. D. de Interr.* quod ut eo facilius fiat, reus ex responsione sua conveniri poterat; hic vero effectus cessabat, si respondens ex levi negligentia absque omni dolo negotium,

tium, de quo interrogabatur, non examinaverat, quod etiam ultima nostri §. verba docent; nisi culpa dolo proxima sit. Ex hac itaque speciali Praetoris dispositione in epte regula universalis formatur, nec à decisione hujus casus singularis ad nostrum argumentari licet brocardum.

## §. XVI.

non Probant insuper Doctores regulam nostram per *Reffons. ad L. 71. §. 8. de acquir. vel am. hered.* Examinat scil. Ulpia: *L. 71. §. 8. de nus l. c. quis rem hereditariam amovere videatur & as. acq. vel am. hered.* serit, quod is amovere non videatur, qui non callido animo, nec maligno rem reposuit. Absolvit quoque eum, qui in re erravit, dum putat, rem non esse hereditariam. Ex his verbis concludere annituntur brocardum nostrum cause fatuae Patroni, sed non video, qua ratione ex illis possit deduci. Nam licet non negem, conclusionem Ulpiani esse veram, eum non posse conveniri actione rerum amotarum, qui rem hereditariam absque animo callido & maligno vel ex errore facti reposuit, quoniam ad id, ut quis actione rerum amotarum teneatur, dolus animusque malignus requiritur, qui cum cesset, cessat quoque actio, quia fundamentum agendi deficit; Nego tamen Ulpiani conclusionem ad nostrum extendi posse brocardicum, deest enim dolus in eo casu, quem ventilat Ulpianus, in nostro vero brocardico præsupponitur, nec cause fatuae in dicto textu fit mentio, sed solum dicitur, actionem rerum amotarum locum non habere contra eum, qui absque callido & maligno animo, vel ex errore facti rem hereditariam reposuit, quoniam is, qui in bona fide

K 2

fuit

fuit, amovere non videtur; accedit, quod decisio Ulpiani casum specialem definiat, ex qua generalis regula omnia sere delictorum genera comprehendens fabricari haud potest.

### §. XVII.

*Reff. ad L. 3. L. 3, §. 21. & 22. D. de SCt. Silanian. inepte à Doctoribus ad S. 21. & 22. confirmandum nostrum brocardicum allegatur. Nam de Ser. Sillan. §. 21. d. L. præsupponit ignorantiam facti; in eo vero non præsumitur dolus, qui ignorantia facti ductus aliquid fecit, & ab ignorantia facti, ad fatuam causam argumentari non licet. §. 22. autem proponit casum, quo quis absque dolo aperuit forte per imperitiam ac rusticitatem. Quoniam vero imperitia atque rusticitas tantum excusant in casibus jure expressis, & invita jurisprudentia ad alias casus extendi nequeunt, exinde regula generalis formari non potest.*

### §. XVIII.

*Reff. ad L. 6. Falsam porro Ulpiano affingunt mentem Doctorum. pr. D. de acq. res, qui putant, nostrum brocardicum probari per L. 6. vel amitt. pr. D. de acq. vel amitt. possif. Quærerit scilicet JCTus, quis clam possidere dicendus sit? & responder eum clam possidere, qui furtive (malo animo, invito domino, §. 6. J. de obligat. quæ ex del.) ingressus est possessionem ignorante eo, quem sibi controversiam facturum suspicabatur, & ne faceret, timebat. Ex hoc principio concludit, illum non clam possidere, qui sciente aut volente eo, ad quem ea res pertinet, aut aliqua ratione (justa aut legibus approbata) bonæ fidei possessionem nanciscitur. Quod autem hic per verba aut aliqua ratione, in quibus Doctores se*

se fundant, intelligatur (ut monui) ratio justa & legibus adprobata contextus docet. Verba enim bona fidei possessionem nanciscitur ostendunt, JCtum agere de acquirenda possessione justa, eamque opponere possessioni injustæ atque clandestinæ. Cum vero fundamentum justæ possessionis sit causa justa atque adprobata, vi cuius quis possessionem nactus est, concludo: Jure-Consultum per verba aliqua ratione ductus denotasse justam & legibus adprobatam rationem. Deinde JCtus dixit: Scientiam & voluntatem domini esse justas acquirendi justæ possessionis causas, hisque adjunxit per particulam aut (quæ b. l. copulative seu conjunctive sumitur) verba generalia aliquam rationem breviterque docere voluit, omnes alias rationes, quibus presumptio possessionis clandestinæ removeri debet, debere esse similes iis, quas præmisit, hoc est justas & Legibus adprobatas. Quod cum ita sit, hujus legis verba frustra allegantur tanquam fundamentum nostri brocardici, quia brocardicum causam injustam, fatuam &c. proponit, de dolo generaliter agit & excusationem ab omnibus fere criminibus fistit, allegata vero lex quæstionem specialem tractat, de clandestina possessione agit, & ad hujus exclusionem justas & Legibus adprobatas causas requirit.

## §. XIX.

L. i. §. ult. D. de abigeis nostrum potius destruit ac Responſi, ad infringit, quam firmat atque probat Brocardicum. Verba enim legis sunt clara, justis rationibus ductus, quæ in de abig. Justas fatuasque causas excludunt. Addo, quod in d. L. color abigeatus rejiciatur, verbis: Si non color abigeatus

K 2

que-

questus est, ex quibus concludo, inepte hanc Legem ad Ribiliendum corroborandumque brocardicum allegari, in primis cum is, qui pecora abegit, de quorum proprietate faciebat controversiam, non absolvatur, sed ad examinationem civilem, vel, ut Paulus *Liber V. Sentent. T. 18. n. 3.* loquitur, ad forum h. e. ad jus ordinarium, vel ad iudicium privatum remittatur, & ita convictus in duplum vel in triplum furis more damnetur, *vid. Paulus L. c. n. 1. § 3.*

## §. XX.

*Resp. ad L. 2. D. ad L. Fab. de Plagiar. Quærit scilicet Ulpianus: an is, qui servum ab aliud est abesse, aliud in fuga esse, absentem servum dominus vendere poterat, non fugitivum, l. 2. §. ult. D. L. 6. C. ad L. Fab. de Plagiar. L. 5. in fin. C. de Serv. Fugitiv. Rationem rationis suppeditat A. Matthæi Tr. de Criminibus Tit. XII. c. 1. n. 6. quem exscribere nolo, sufficit, ex hac lege pro nostro brocardico validum argumentum duci hand posse, cum neque casus in ea propositus atque decisus, neque ratio ab Ulpiano adjecta ad nostrum quadrent brocardicum.*

## §. XXI.

*Resp. ad L. 3. pr. D. ad L. Fab. de Plag. exhibet possessorem bovem, pr. D. ad L. nœ fidei, seu eum, qui servum alienum esse ignorabat, Fab. de Plagiar. vel qui voluntate domini (ex justa & probabili causa) id agere putabat L. 14. C. ad L. Fab. de Plag. Hunc Marcianus*

nus a pena L. Fabiae absolvit, quia bona fidei possessio  
hac lege non tenetur. Quoniam vero allegata Lex prae-  
supponit ignorantiam facti & credulitatem ex justa cau-  
ta ortam, non video, qua ratione per allegatam Legem  
nostrum firmari possit brocardicum.

## XXII.

Pergo ad eas rationes, quibus Doctores nostrum Examen 140  
brocardicum probare intendunt, sedulo inquirens: an tioniis Imæc  
conveniant doctrinæ communi, & regulam inde deduc-  
tam probent. Quod itaque ad primam, qua Glossa-  
tores utuntur, rationem, attinet, quamlibet ignorantiam etiam juris excusare a dolo, notes: quod Glossa  
ignorantiae juris & facti unum eundemque attribuat effectum, cum tamen magna inter utramque sit differ-  
entia, ut ex. L. 1. & 2. D. de Jur. & fact. ignor. patet. De-  
inde non quælibet facti ignorantia excusat, sed proba-  
bilis; crassa enim, dissoluta & supina ignorantia ferenda  
haud est. L. 3. & 6. D. de J. & F. Ign. Farinac. Criminal. Q.  
89. n. 66. Disputant præterea Doctores: an ignorantia  
juris excusat a dolo? Multi sunt LL. Interpretes, qui  
hoc affirmant, provocantes ad Gl. in L. 14. C. ad L. Fab.  
de Plagiar. quos recenset Tiraquellus de pœn. temper.  
Causa XI. n. 3. Alii vero hoc negant, per §. 1. J. de Vi  
bon. rapt. quos allegat Tiraquell. l. e. n. 5. Farinac. Q.  
90. n. 92. quam opinionem L. 11. §. ult. D. de bis qui not.  
infam. & L. 9. D. de Jur. & fact. ignor. confirmare viden-  
tur. Doctores vero, qui Glossatorum doctrinæ subscri-  
bunt, & ex ea regulam formant, multas afferunt limi-  
tationes, quæ totam tere regulam absorbere viden-  
tur. Afferunt enim ignorantiam juris non excusare in

iis, quæ contra jus divinum, naturale, Gentium, jus civile notorium & in dubitatum ac jura statuaria fiunt vid. Tiraquell. l. c. n. 7. sqq. Quemadmodum vero ea, quæ dixi, evidentissime docent, hanc Glossæ rationem non esse omnibus exceptionibus majorem, ita non cerno, quo modo commune brocardicum probare possit. Nam Glossatorum assertum legibus supra adductis repugnat, & licet non repugnaret, limitationes tamen allegatae demonstrant, usum hujus doctrinæ esse exiguum, imo plane nullum, cum nullum sit delictum, quod jure dino, naturali, civili vel statutario non sit prohibitum. Addo: hanc doctrinam non convenire negotio, ad quod applicatur, quia magna inter ignorantiam & causam factam est differentia, prior enim præsupponit effectum intellectus, posterior in voluntate vero ex inconsulto calore, præcipitantia & facilitate agentis a Doctoribus deducitur.

## §. XXIII.

*Refutatio  
nionis IIde.*

Ratio 2da desumitur à præsumpta hominum bonitate, per quam omnis dolus excluditur, atque dicitur: dolus non præsumitur. Hæc vero thesis non est universalis, sed tantum intelligi debet de dolo ex proposito, qui causam *contractui* dedit, maxime in bona fidei judiciis, nec locum habet in iis, quæ sunt de genere prohibitorum, in quibus dolus præsumitur. Cap. I. X. de Rescr. L. 1. C. ad L. Corn. de Sicar. dolus enim præsumitur ex actu illico ut, quando quis delinquit, eo ipso etiam in dolo esse censeatur L. 5. C. de Injur. L. 52. §. 1. D. ad L. Aquil. add. Barbos. Thesaur. L. IV. C. 44. axiom. 3. Quod cum ita sit perperam hæc thesis tanquam ratio ad probandum brocardicum nostrum adducitur, falsaque & inepta erit con-

conclusio, quia dolus non præsumitur, ergo causa fatua a dolo excusat. Contrarium potius ex hac ratione deduco, quia dolus non præsumitur, ergo ab allegante probari debet. Ita docet Scævola in L. 16. D. de dolo ma-  
lo. Ita concludit Ulpianus in L. 6. & 18. D. de Probat. Ita jübent Imperatores in L. 5. C. de Pignor. act. & in L. 6. C. de dolo. Ubi dicunt: Dolum ex indiciis perspicuis probari convenient. Quoniam vero à dolo ex indiciis perspicuis, vel ad probationem indubitatis & luce clarioribus, (ut in L. ult. C. de Probat. dicitur) probato nulla est excusatio, & hæc indicia per allegationem cau-  
se, etiam justæ removeri non possunt, vid. Menoch. de  
Præsumpt. L. V. Præsumpt. 3, n. 12, concludo: causam fatuam  
a dolo non excusare.

## §. XXIV.

Tertia ratio boccardicum nostrum planè non pro-  
bat. Dolus, dicunt Dd. consistit in animo, ideoque non  
directe probatur, sed per conjecturas, si igitur animus  
non dirigitur ad decipiendum, non est in dolo, non diri-  
gitur autem si aliqua causa a dolo remota fecerit, quod  
non erat faciendum &c. Verum enim vero hæc ratio  
Præsupponit causam justam, ut docent verba *si causa*  
*a dolo remota fuerit*, Boccardicum autem causam injustam,  
fatuam, rectæ rationi & Legibus non convenientem  
proponit. Deinde conclusio est falsa, qui aliqua causa  
a dolo remota facit, quod non erat faciendum, ejus  
animus ad decipiendum non dirigitur, partim quia ju-  
stitia atque injustitia actionum humanarum non solum  
ex causa impulsiva, sed in primis ex intentione agentis bo-  
na vel mala, justa vel injusta &c. dijudicari debet, partim,  
quia is, qui facit, quod non erat faciendum, rei illicitæ

L

dar

dat operam, & in dolo versari præsumitur, quam præsumptionem non sola causæ impulsivæ allegatio, sed in primis justissima agentis intentio elidit.

### §. XXV.

*Examen rationis IV<sup>a</sup>.* Idem dicendum esse arbitror de ultima ratione accepti, fingit (ut ratio antecedens) causam justam, & nititur talia conclusione: dum dolus est machinatio fraudulenta ad circumveniendum, plane non vult decipere, qui aliqua alia causa dictus fecerit. Quemadmodum vero brocardicum nostrum est generale & de dolo late accepto agit, causam non justam, sed injustam præsupponit, & insuper falsitas hujus conclusionis supra demonstrata est, ita non video, quomodo hæc Bargalii ratio nostrum probare possit brocardicum.

### §. XXVI.

*Exempla adducta regula nostram firmant.* Exempla ex Legibus Romanis desumpta vid. C. II, §. 7. nostrum brocardicum neque illustrant neque confirmant. Docent quippe casus, in iis propositi, agentem non fuisse in dolo, sed alia ex causa à dolo remota, justa, atque probabili egisse id, quod agere non debuit. Quod enim attinet ad exemplum in L. I. §. 4. D. ne vis fiat ei qui in poss. propositum, observo ex d. L. §. I. Prætorrem in suo interdictio claris atque perspicuis verbis dolum a parte agentis requirere, qui cum in eo, qui rem suam esse putaverat vel sibi nexam cesseret, Ulpianus eum a pena hujus Edicti absolvit. Idem dicendum est de altero exemplo ex L. 76. pr. D. de furtis adducto, in qua is, qui re sibi commodata vel apud se deposita aliter usus est,

est, atque accepit, hoc non animo nocendi fecit, sed quia iusta ex causa patavit, se non invito Domino id facere. Perperam insuper allegantur exempla in L. 7. D. ad L. Corn. de Sicar. proposita. Requirit enim lex Cornelia de Sicariis in homicida animum occidendi L. 7. §. 3. D. ad L. Corn. de Sicar. Qui itaque fortuito vel latente culpa homicidium committit, excusatur & a poena L. Corneliae absolvitur. Inepte denique huc refertur casus in L. 21. D. ad L. Corn. de falsis propositus, quia in ea nulla excusatio a dolo proponitur, sed poena illius, qui rem duabus vendidit, dolumque commisit, adducitur. Adde ea, quae monui infra in §. ult,

## §. XXVII.

Progredivor ad regulæ nostræ ampliationes; Inter eas primum occupat locum Fama publica. Sed dubito: Utrum Fama publica inter ampliationes brocardici nostri collocari poscit, nec absque ratione dubito, quia fama publica respectu actionum humanarum est res indifferens, quam leges neque in totum approbarunt, neque reprobarunt. Quod vero ad quæstionem ipsam attinet, nego: famam publicam semper excusare a dolo, quia nulla lex hunc effectum famæ publicæ attribuit, & hoc assertum naturæ doli repugnat. Non ignoro, quod affirmativæ sententiæ defensores ad L. 11. §. 12. D. ad L. Jul. de adulter. provocent; At dicta lex agit de bona fide mulieris, alii se jungentis, cum absentem virum audisset vita functum esse, quam Papinianus absolvit, quia verisimile est, eam deceptam fuisse; aliud vero obtinere dicit, si ficta mariti mors argumentum faciendis nuptiis probabitur prælituisse, tunc enim mulier, quo-

*an fama pu-  
blica excuset  
a dolo?*

niam scivit maritum non esse mortuum, versatur in do-  
lo, & pro admissi criminis qualitate puniri debet. Exem-  
plis porro ex L. ult. D. de hered. instituend. & ex L. 30. §. 3. D.  
de acq. l. am. hered. desumptis affirmativam opinionem  
illustrare nituntur Doctores. Verum adductae leges  
ad nostram thesin plane non quadrant. Nam L. ult. de  
Hered. Instituend. agit de validitate testamenti, bona fide  
ex falsa causa mutati, & in L. 30. D. de acq. l. am. hered.  
examinatur ac deciditur casus, an existente vidua  
prægnante, (vel in rei veritate, vel in obstetricum  
aut multorum opinione) hereditas interim adiri pos-  
sit. Vides, utramque legem nullum prætupponere  
dolum, inepté itaque exempla in iis proposita ad  
illustrandam communem opinionem allegantur. Qui-  
bus adde, quod thesis vel regula ex modo adductis Le-  
gibus deducta, Fama publica excusat à dolo varias ha-  
bet limitationes, restringunt nempe eam 1) ad casum  
quando fama procedit a personis fide dignis, (2) Or-  
tum habet ex probabilitibus causis, (3) non est vana &  
FATUA, cui temere fides habenda haud est (4) Lon-  
go tempore vagavit, nec procurata fuit, vid. Bartol. in  
Comm. ad L. 11. §. 12. D. ad L. Jul. de adulter. Farinac. Crimi-  
nal. Q. 90. a. 43. Barbola thesaur. Jurispr. E. VI. C. 8. Quæ  
limitationes totam fere regulam absorbere viden-  
tur. De veritate enim harum limitationum ju-  
dicare non potes, nisi originem famæ scias, eosque  
vero eam perquires, usque dum ad ipsam rei evidenti-  
am perveneris; Hæc autem rei evidencia faciet rem no-  
toriam, & famam convertet in notorium, quæ malè à  
Doctoribus confunduntur, v. B. J. S. Strykii Disp. de No-  
torio. C. 1. §. 22. Nec video, quomodo fama publica à do-  
lo

lo liberare possit, si enim certa & perspicua adfint dolis  
indicia, allegatio tamē publicæ haud excusabit, quia de  
animo decipiendi lādendique alterum constat, & a dolo  
nulla est excusatio. Qui vero fama publica seductus:  
absque animo decipiendi falsum denunciat vel ali-  
quem accusavit, is in dolo non est, inepte itaque ad no-  
strī brocardici ampliationem confugiet, & in ea defen-  
sionem, qua non indiget, quæreret.

## §. XXVIII.

Consuetudo irrationalis inepte refertur inter am- *An consue-*  
pliations regulæ nostræ, quia causæ fatuæ in omnibus *tudo irratio-*  
convenit, & ideo exemplum potius, quam amplia- *nabilis excus-*  
dicti brocardici denominari debet. *Ipsa vero thesis, see adolo?*  
Consuetudo irrationalis excusat à dolo, non est omni  
exceptione major, sed Doctores disputant, an hic effe-  
ctus consuetudini irrationali attribuendus sit. Non ne-  
go, multos esse qui hoc affirmant. Sunt tamen alii, qui  
contrarium defendant. Sic Hostiensis in *Cap. 5. X. de*  
*bis, que sunt à Prelato.* dicit: Quod in delictis consue-  
tudo non excusat. Nec non Baldus in *L. 32. D. de LL.*  
afferit, quod in his, quæ sunt de genere malorum, consue-  
tudo nullam excusationem præbeat, quorum opinio-  
mihi videtur esse verior. Nam hic non quæritur: an  
is, qui consuetudinem irrationalem communiter rece-  
ptam sequitur, sit in dolo? (Quod negatur, quia ad valo-  
rem consuetudinis, qua talis non requiritur, ut sit ratio-  
nabilis, vid. *Dn. Præfid. Diff. de Jure Consuetud. & Observ.*  
*§. 36.* quorū exempla, quibus hanc thesin illustrant  
Doctores, spectare videntur.) Sed quæritur: an is, cuius  
dolus perspicuis indicis probari potest, ad consuetudi-

L. 3.

nem

nem irrationalabilem provocare, eamque tanquam fundamen-  
tum excusationis allegare posse? Quod nego,  
quia perspicua dolii indicia animum dolosum indicunt  
atque probant. Ubi vero adest propositum nocendi,  
ibi frustra provocatur ad consuetudinem irrationalabilem,  
quae tanquam causa excusationis legitima allegari non  
potest, quoniam jura eam improbat atque rejiciunt.  
vid. *Capit. fin. X. de Consuetud.* Cumque à dolo nulla sit  
excusatio, ita ut causa etiam justa perspicua dolii indicia  
removere haud possit, hic effectus consuetudini irra-  
tionabili inepte à Doctoribus attribuitur. Objicis ra-  
tionem Doctorum supra C. 2. §. 2. adductam, quod con-  
suetudo ex non licto faciat licitum; Respondeo: Hæc  
ratio naturam atque vim consuetudinis quidem exprim-  
it, effectum vero consuetudini irrationali à Doc-  
toribus falso attributum haud confirmat, nam non sequitur  
consuetudo de non licto licitum facit, ergo à dolo ex-  
cusat. Provocas ad exempla, quibus hoc assertum il-  
lustrant Doctores, Sed frustra: Hæc enim exempla  
præsupponunt casum, cuius supra mentionem feci, ab eo,  
de quo sermo est, plane diversum.

## §. XXIX.

*An dispensatio subreptitia, quæ tertium inter ampliationes nostræ regulæ occupat locum, à dolo non potest excusare, quia dolus hujus causa atque fundamentum est. Falsam enim narrationem præsupponit dispensatio subreptitia, cum subripere nihil aliud hic denotet, quam per falsam narrationem aliquid extorquere. Falsa vero narratio absque dolo concipi vix potest, intervenit scilicet hic à parte impetrantis malitia atque calliditas, qua conce-*

concedentem per falsa narrata movere vult, ut rigorem juris stricti remittat atque relaxet. Quemadmodum vero litteræ subreptione obtentæ non valent, C. 22. & 26. X. de Rescript. L. 2. C. Si nupt ex Rescript. ita dispensatio subreptitia nullum producet effectum, L. 2. & 5. C. si contra Ius & uilitat. publ. multò minus à dolo excusabit.

## §. XXX.

Pergo ad quartam brocardici nostri ampliationem, *An Credulitas communem fere Doctorum opinionem proponit, tas excusat a credulitate excusare à dolo?* Miror vero, Doctores credulitati attribuisse effectum, quem natura negotii & leges ei denegant, Credulitas enim seu ipsa credendi facilitas est signum imprudentiae atque levitatis & præsupponit facilitatem, incuriam ac negligentiam, concludo exinde, eum, qui facile credit, esse in lata culpa. Sicuti vero culpa cuique sua nocet & facilitati sue attribuere debet, qui alteri temerè credidit, ac sine ulteriori rei auditæ investigatione aliquid commisit, quod dictamini rectæ rationis & legibus haud convenit, ita non video, qua ratione credulitas excusationem præbere & à pena liberare possit, in primis cum leges credulitatem nimiam rejiciant, & quisque sibi imputare debeat, quod fuerit credulus, L. 1. §. 2. D. de eo, per quem fact. erit. L. 3. §. 9. D. de inrem verso. L. 3. pr. D. de SCto Macedon. L. 17. C. de accusat. & inscript. Quod cum ita sit, credulitas nunquam à dolo excusabit, quia indicia dolii perspicua per allegationem credulitatis removeri haud possunt, & credulitati nullibi in jure nostro is attribuitur effectus, ut præsumptiones dolii diluere possit.

## §. XXXI.

## §. XXXI.

An temeritas  
excusat a  
dolo?

An temeritas excusat à dolo? quæro occasione ampliationis Vræ, quam regulæ nostræ subjicere solent Doctores. Resp. Temeritas in jure nostro dupliciter sumitur, latè considerata sub se continet calumniam, prævaricationem, tergiversationem, & ut multa paucis dicam, colum, vid. Aug. Barbosæ *Thesaur. Jurispr.* L. 18. C. 6, Axiom. 4. Stricte vero accepta denotat defectum consilii & est indicium inconsulti caloris, imprudentiae, negligentiae, ubi aliquid inconsideratè & absque consilio peragitur, hinc temeritas attribuitur culpæ latæ, & temere facere idem est, ac inconsulta facilitate aliquid facere, L. 41. D. de Recept. L. 7. §. 12. de A. R. D. Quemadmodum vero prior significatus ad eam, quam ventilo quæstionem, plane non pertinet, ita temeritas stricte accepta inepte inter ampliations causæ fatuæ numeratur. Ea enim, quæ supra C. 2. §. 2. docui, ostendunt, Doctores causam fatuam facilitati, incuria & inconsulto agentis calori attribuere, & ideo non comprehendo, quomodo id, quod causam fatuam producit, simul tanquam ampliatio causæ fatuæ allegari atque proponi possit. Nego itaque temeritatem excusare à dolo, quia hæc thesis non convenit analogiæ Juis, & nullibi in jure nostro hic effectus temeritati adscribitur, sëpissime verò temeritas improbat, & non uno loco dicitur, quod temeritas puniri debeat. vid. L. 7. §. 3. D. ad L. Jul. Majest. L. 29. D. ad L. Corn. de fals. L. 33. §. 8. C. de Episcop. L. 1. pr. C. ut omnes Jud. L. 22. §. 14. C. de jure deliber. Antb. Agricultores C. quæ res pign. oblig. poss.

## §. XXXII.

## §. XXXII.

Error juris quoque inter ampliationes brocardici *An error juris excusat à dolo?*  
 nostri refertur. Est vero error, opinio veritati contra-  
 ria, quæ cum hominem sæpiissime seducat atque moveat ad aliquid faciendum, quod dictamini rectæ rationis &  
 præscripto legum haud convenit, errorem juris fundamen-  
 tum potius causæ fatuæ nominandum, quam inter  
 ampliationes regulæ nostræ referendum esse existimo.  
 Sententia vero, error juris excusat à dolo, universaliter  
 vera non est, analogiæ juris non convenit, per nullam le-  
 gem probatur, & negotio, de quo agimus, accommodari  
 vix potest. Fundamentum erroris est incuria, negligen-  
 tia atque præcipitania agentis, nam cuilibet imperito li-  
 berum est, consulere peritiores, *L. 10. D. de bon. posse.*  
 Quod cum errans in jure negligat & delinquit, incuriam  
 tanquam causam excusationis valide allegare nequit, ipse  
 enim sibi imputet, quod sui erroris fuerit causa, quem  
 evitare potuisset, si peritiores consulueret. Hanc ob cau-  
 sam multi LL. Interpretes dixerunt: Errorem juris ne-  
 minem excusare, vid. Barbolæ *Thesaur. L. 5. C. 16. axiom.*  
 13. Provocant quidem defensores opinionis affirmati-  
 vae *ad L. 25. §. 6. D. de hered. petit.* At in ea Lege propon-  
 nitur casus, ubi quis dolo caruit & in jure erravit. Ut  
 vero hic casus ab eo, quem nostra præsupponit thesis ma-  
 ximopere differt, ita non video, qua juris ratione illius  
 decisio tanquam fundamentum præsentis sententiae alle-  
 gari, & ex ea probari possit, errorem juris excusare à do-  
 lo. Dolus quippe præsupponit animum atque proposi-  
 tum decipiendi, ubi vero hoc adeat & perspicuis indi-  
 cis probari potest, ibi juris error nullam præbebit ex-

M

cusa-

cusationem, quia indicia dolii perspicua per allegationem erroris etiam justi removeri nequeunt.

### §. XXXIII.

*An Ignorantia juris excusat à dolo?* Ea quæ de errore juris à me dicta sunt, applicari quoque possunt ad ignorantiam juris. Causa fatua, quam præstruit Brocardum nostrum, sèpissime oriri potest ex ignorantia juris, ideo tamen cum Bartolo aliisque Legum Interpretibus ampliatio formanda haud est: ignorantia juris excusat à dolo, cum ipse Bartolus in *Comm. ad L. 6. §. 25. D. de hered. petit.* & *ad L. 2. D. de confess.* dixerit: ignorantiam juris non præsumi, ex quo concludunt alii Doctores, eam non excusare. vid. Barbos, *Axiom. lib. IX. c. 3. ax. 13.* Cum enim quilibet vel per propriam diligentiam, vel peritiores consulendo juris positivi præcepta scire possit, *L. 2. §. fin. D. Quis Ord. in bonor. poss. L. 2. L. 9. §. 3. D. de f. & fact. ignor. culpabilis omnino erit ignorantia ejus, qui peritiores consulere neglexit, nec inscitia legum excusationem præbere poterit, per *L. 1. & L. 9. D. & L. 2. C. de jur. & fact. ignor. L. 29. §. 1. Mandat. C. 13. de R. I. in 6t o.* Ignorantia itaque juris nullum patrocinium præstabat ei, qui in dolo est, sive dolus in civilibus negotiis interveniat, sive in delictis objiciatur. Plura non addo. Tu vide ea, quæ supra §. 22. à me sunt proposita.*

### §. XXXIV.

*Examen ampliationis VIII.*

Pergo ad eas ampliations, quæ causæ fatuae effectionum exhibent. Inter illas primum tenet locum assertum Doctorum: quod causa fatua excusat à dolo *in omni casu,*

casu, omnibusque delictis, in quibus à lege vel statuto requiritur dolus. Puto autem hanc ampliationem à Doctoribus esse additam, ut brocardico nostro majorem attribuant vim atque potestatem. Quoniam enim Doctores ex singularis casus decisione generalem regulam ad excludendum omnem dolum formarunt, generalem quoque ei effectum adscribere, formatamque regulam omnibus casibus, omnibusque delictis, ad quorum substantiam à Lege vel Statuto requiritur dolus, applicare non erubuerunt. Quemadmodum vero in antecedentibus demonstravi, brocardicum generale de causa fatua à dolo excusante analogia juris haud convenire, ita de præsente ampliatione idem dicendum esse existimo. Nullam invenire potui legem, hanc ampliationem confirmantem, inveni vero, eam à multis Legum Interpretibus in dubium vocari; Disputant enim de veritate multarum ampliationum, quæ ex hac tanquam conclusiones ex principio deducuntur. Quibus adde, quod limitaciones, quas regulæ nostræ subjiciunt Doctores, huic ampliationi contradicunt, imo ipsam fere regulam cum ampliationibus absorbere videantur.

## §. XXXV.

Huic ampliationi addiderunt aliam: Causam fatuam excusare à pena, idque ob rationem ex Farinacio addutam, quæ omnino concluderet, nisi falsum præsupponeret principium; Cum enim supra demonstratum sit, causam fatuam à dolo non excusare, eam rationem, qua usus est Farinacius invertit, atque concludo, quoniam causa fatua à dolo non excusat, multo minus excusabit à pena propter dolum commissum imponenda. Quibus

M 2

ac.

accedit, hanc ampliationem universaliter veram haud esse, sed propter limitationes, quibus Doctores nostrum declararunt brocardicum in multis casibus frustra allegari, ut infra §. 49. ostendam.

### §. XXXVI.

*Examen ampliationis XI. & XIII.* Ex his, quæ dixi, concludo: sua sponte corrueas ampliationes, quæ tanquam conclusiones ex hoc principio à Doctoribus sunt deductæ; scilicet: quod causa fatuæ excusat ab infamia. Infamia irrogatur propter dolum, qui ex indicis perspicuis probari debet. Sicuti autem perspicua dolii indicia per allegationem causæ fatuæ atque injustæ removeri non possunt, ita inepte dicitur, causam fatuam excusare ab infamia. Allegatio itaque causæ fatuæ nunquam excusabit *socium*, qui re communia ad usum non destinatum usus est, & depositarium, qui in re deposita male versatus est. Nec ea est mens Felicis atque Mevii, ad quos D. Friese provocat; nam prior proponit causam legitimam atque justam, qua motus socius pro salvanda parte sua totam rem per vim occupavit, paratus alteram partem socio consignare, alter vero non iniquum retinendi prætextum & bonam fidem depositarii præsupponit, à quibus ad causam fatuam non valet argumentatio.

### §. XXXVII.

*Causa fatua non excusat tutorum à pena L. 7. D. Quod falsum tutor.* Nego porro: Causam fatuam excusare tutorem falsum, ne teneatur pena L. 7. D. quod fals. tutor. Prætor scilicet inter alia juris remedias contra falsum tutorem concessit actionem in factuum ei, qui cum pupillo contraxit ad id, quod actoris interest. L. 1. §. 1. & 6. L. 7. pr. D. Quod

*Quod fals. tutor.* Cessat vero hoc remedium, si contra-hens fallum tutorem esse sciverit, L. i. §. ult. d. T. Si ex duobus tutoribus, qui autoritatem interposuerunt, alter falsus alter verus fuerit. L. i. §. 3. d. T. Situtor falsus me-tu compulsius auctoritatem accommodaverit L. 7. §. 1. d. T. Si falsus tutor non fuerit in dolo. L. 7. §. 1. d. T. Quemadmo-dum vero ex adductis patet, inter causis, quibus hæc actio cessat, nullam mentionem fieri causæ fatuæ, & supra de-monstravi, causam fatuam a dolo non excusare, ita fal-sus tutor, qui dolo malo auctoritatem suam interposuit, frustra ad nostrum brocardicum provocabit.

## §. XXXVIII.

Inepte quoque dicitur: quod Causa fatua excusat *An causa fatua à mala fide.* Mala fides enim partim denotat dolum tua excusas malum, ut in L. 5. §. 4. D. de auctoritate & consensu tutor. *a mala fide* & Cur. Ubi Ulpianus sane si ipse (tutor rem pupilli & fructuum restitutio[n]es) quidem emit palam, dedit autem nomen, non *MALA FIDE* (astute, malitiose, callido consilio) sed simpli-citer (bona fide v. L. 6. §. 4. D. de negot gest.) ut solent ho-nestiores non pati nomina sua instrumentis inscribi, valet emptio L. 1. C. de R. V. & L. 6. C. de Praescript. long. & tempor. &c. partim designat conscientiam, rem ad alium pertinere L. 31. & 32. D. de usurpat. & usucap. Prior significatio hic lo-cum habere non potest, absurdâ enim atque ridicula est ea ampliatio, quæ regulam non extendit, sed rem atque negotium in regula propositum, aliis verbis exprimit; Posteriorem vero si arripias significatum, affero; ampliationem non convenire analogiæ juris ac naturæ ma-læ fidei. Probo assertum, quia bona vel mala fides facti potius, quam juris est, & ad facti quæstio-nem magis, quam ad juris disceptationem pertinet: an

M 3

quis

quis possideat bona fide an mala? ita docet JCtus in L. 48. §. 1. de A. R. D. nec absque ratione, nam bona fides ex errore facti oritur, si quis putet atque credat, eum a quo rem ex donatione vel alia justa causa accepit, fuisse dominum illius rei §. 25. J. de R. D. & L. 109. de V. S. Mala fides autem ex scientia facti, dum quis scit, rem ad alium pertinere, & eam scienter occupat, nasci solet, neutra vero juris ignorantiae natales suos debet. Quemadmodum vero causa fatua non facti, sed juris questionem tangit & insuper notum est, juris errorem possessori ad fructus acquirendos & ad usucapionem non prodesse, L. 4. & 9. pr. D. de Jur. & fact. ignorant. L. 31. & 32. D. de Usurpat. & usurpat. & usucap. ita brocardicum nostrum ad negotium quod a facti scientia vel errore dependet, applicari, & is, qui rem alienam scienter occupat, per allegationem causæ fatuæ a mala fide & fructuum restitutione liberari haud potest. Ex his, quæ dixi concludo: rationem Doctorum, bona fides non solum ex justis, sed etiam ex injustis atque temerariis rationibus causatur, assertum vel ampliationem nostram plane non probare, & illationem Alciati esse falsam, causa fatua excludit dolii præsumptionem, ergo efficit, ne quis malæ fidei possessor videatur, cum supra demonstratum sit, quod causa fatua dolii præsumptionem non elidat, & allegatio causæ fatuæ atque injustæ bonæ fidei possessorem constitutere nequeat.

## §. XXXIX.

*Examen am-  
pliationis  
XVII. &  
XIX.* Frustra porro provocat ad brocardicum nostrum filius, qui propter impugnationem testamenti paterni legitima privatur. Privatur legitima filius, qui impro-

be calunniōse ac dolo malo patris testamentum impugnat, & in ista lite improba usque ad sententiam judicis perseverat. *L. 8. §. 14. D. de inoffic. testam.* Punitur itaque propter litem improbam & calumniandi animo institutam, nec sententiam per allegationem causae fatuae rescindere potest, partim quia de dolo malo & improbo animo agentis ex actis constat, partim quia a dolo nulla est excusatio. Finckelthusius vero, quem Dn. Friesē citat, casum proponit ab eo, quem nostra sifit ampliatio plane diversum, absolvit quippe heredem, qui litem contra testamentum paternum ex iusta ac probabili causa lege permitente motam, via juris ordinaria persequitur. Multo minus Causa fatua excusabit eum, qui possidere desit, ne rei vindicatione conveniatur, quia is, qui dolo rem ante litem contestatam possidere desit, perinde habetur, acsi adhuc possideret. *L. 27. §. 3. D. de R. V. L. 131. & L. 157. de R. J. C. 36. de R. J. in 6to.* & causa fatua atque injusta dolii præsumptionem diluere nequit.

#### §. XL.

*Index qui per imperitiam male iudicavit, vel pu-* Examen am-  
pillis tutorem non dedit, iustitiam protractis, vel denega- pliationsis  
vit, inepte ad nostrum provocat brocardicum. Nam XIX. XX.  
Judex personam viri boni, innocentis, & honesti tueri XXXI.  
debet *L. 4. §. 1. D. Famil. ercise.* atque iustitiam secundum  
leges & morum præscripta administrare tenetur *pr. J.*  
*de Offic. Jud. L. 13. C. de sentent. & Interloc.* Is vero viri  
boni ac innocentis officio non fungitur & Legum at-  
que iustitiae vestigia non sequitur, qui causa fatua du-  
ctus officium suum negligit. Judex itaque causam fatu-  
am

am allegans, propriam allegat turpitudinem & faterur,  
quod officio viri boni atque honesti non satisfecerit, ac  
ideo non excusari, sed tanquam confessus & convi-  
ctus puniri debet.

### §. XLI.

*An causa fatua excusat a contumacia?* Contumacia est adver-  
sus judicem competentem ad se vocantem vel aliter  
præcipientem contemptus. *vid. Bargal. de Dolo L. V. C.*  
*21. n. 6.* cum non tantum ille contumax sit, qui citatus  
præsentiam sui facere contemnit *L. 53. §. 1. D. de Re jud.*  
sed & is, qui in qualibet judicii parte judicis jussui non  
satisfacit. *L. 1. §. 3. D. de Postul. L. 19. D. de dolo.* Cum ve-  
ro contemptus judicis dolum præsupponat, & a dolo  
causa fatua excusat, multi LL. Interpretes putant, cau-  
sam fatuam excusare a contumacia ejusque poena, &  
suam sententiam per Glossam supra *C. 2. §. 3.* adductam  
corroborare intendunt, ab hac vero opinione Barto-  
lus in *Comm. ad L. 23. D. de appell.* Jason in *Comm. ad L.*  
*1. §. fin.* si quis jus dicent. n. 27. sqq. aliique receperunt,  
eorumque Doctrinam veriorem esse existimo. Quod  
enim ad allegata Glossæ loca attinet, præsupponunt ea  
eundem casum, quem exponit JCtus in *L. 2. §. 1. D. si*  
*quis in jus vocatus &c.* Sc. si quis ex rusticitate non vene-  
rit. Quoniam vero hic casus plane est diversus ab eo,  
quem nostra sistit ampliatio, ista Glossæ opinio ad pre-  
senteris controversiæ decisionem inepte allegatur. Simi-  
liter falsum Doctorum est præsuppositum: Causam fa-  
tuam excusare a dolo, ex quo inepte concluditur, ergo  
Causa fatua excusat a contumacia. Contumacia enim  
ori-

oritur ex contemptu judicis vocantis, ad hujus vero excusationem non quælibet sufficit causa, sed justa atque legitima. Ita disponit Jus Romanum, ita decernit jus Pontificium, ita statuit jus Saxonum. Jure Romano nulla alia causa a contumacia excusavit, quam justa, fontica, & legibus adprobata, veluti morbus L. 2. §. 3. D. Si quis caution. L. 53. §. 2. & L. 60. D. de Re jud. expeditio publica seu absentia reipublicæ causa L. 140. D. de R. J. & L. 1. D. Quib. ex caus. major. tempestas, quæ impedimento est itineri vel navigationi, vis fluminis L. 2. §. 3. 6. 7. D. Si quis caution. majoris causæ occupatio L. 53. §. 2. D. de Re Judic. & L. 10. C. Quemadmodum & quand. Jud. Plura exempla vide in L. 2. sqq. D. si quis caution. nec ullibi dicitur, causam fatuam excusare a contumacia, contrarium potius concludo ex L. 2. §. 1. D. si quis in jus voc. non ierit, &c. ubi dicitur, si quis in jus vocatus non ierit, ex causa a competente judge multa pro jurisdictione Judicis damnabitur. delinquit enim, & contemnit judicis auctoritatem, qui in jus vocatus non venit L. 5. D. de judic. & L. 199. D. de R. J. Jus Canonicum justas require causas ad excusationem à contumacia, docet C. 19. X. de Appellat. & Cap. 16. §. Quod si per viginti de Elect in 6to & Jure Saxonico L. 2. art. 7. quatuor tantum allegantur causæ, quæ tanquam justa atque legitima impedimenta à contumacia excusant, captivitas, adversa valetudo, peregrinatio extra fines terræ, & publica expeditio. Quæ licet à Glossa ad alias extendantur causas, ex adducto tamen loco constat, nulla alia, quam legitima impedimenta excusare a contumacia, quod etiam denotat vox Ehehaften, quæ jure Saxonico legitima vel legibus adprobata impedimenta designat, Etliche redliche Ursach: n, Ehehafte Noth, rechte Noth vid.

N

Weh-

Wehner in *Observ. verb. Ehehaftem* p. 99. Quibus addo, quod Doctores, qui nostrum commandant brocardum afferant, causam fatuam non excusare a contemptu judicis, *Vid. C. 2. §. 13. p. 51.* quoniam vero contumacia præsupponit contemptum judicis, non video, quo jure afferere possint, causam fatuam excusare a contumacia ejusque pœna.

## §. XLII.

*An causa fatua excusat a mora?* Multi affirmativam defendunt opinionem, quia dolus inest moræ, a dolo vero quælibet causa excusat. Alii vero negativam tueri volunt, quia (1) ad incurrendam moram sufficit lata culpa, a qua causa fatua non excusat; & (2) in mora de damno & interesse partis agitur, a quo causa injusta nullam excusationem præbet. Negativam sententiam veriorem esse existimo, et si prior ratio, qua Doctores utuntur, non sit omni exceptione major, nam ad eam, quam ampliatio nostra tractat quæstionem non quadrat, & ad corroborandam thesin generalem adhiberi nequit. Licet enim non negem, dari casus, in quibus mora per latam culparam committitur, regulariter tamen ad id, ut quis moram contrahat, dolus requiritur, ita docet Ulpianus in L. 8. §. 9. D. *Mandat. Dolo facere videtur, qui id, quod potest restituere, non restituit, nec non in L. 44. D. Mand. Dolus est, si quis nolit persequi, quod persequi potest, aut si quis non exegerit, quod exigere potest, aut solvere, ut Haloander legit.* Idem dicere videtur Africanus in L. 78. D. *de Procurator.* & Paulus in L. 24. D. *ex quib. caus. maj.* Dolumque moræ inesse demonstravit Bargalius *Trade Dolo*

Dolo L. 8. C. 22. n. 2. sq. quem non exscribam. Altera vero ratio magis stringere videtur, quia omnem omnino sub se comprehendit moram, cum enim mora, de qua præsens ampliatio agit, non tantum frustratoriam solvendi vel accipendi debiti dilationem comprehendat, sed omnem agendi ejus, ad quod de jure tenemur cum alterius damno cessationem denotet, is, qui negligit facere id, quod de jure facere debet, alterique per hanc cessationem damnum revera infert, L. 8. D. si quis Caution. in mora esse videtur. Quemadmodum vero excusatio a mora nihil aliud est, quam justa demonstratio, moratorem in moram non incidisse, ita is, qui hoc docere vult, justas legibusque adprobatas allegare debet causas, quibus commotus officio suo non satisfecit. Ita docent Prudentes Romani, audias Ulpianum, qui in L. 21. D. de Usuris optimam rationem requirit ad excusationem a mora. *Sciendum est*, inquiens, non omne, quod differendi causa optima ratione fiat more annumerandum, ubi per optimam rationem nihil aliud intelligit, quam causam justam, impedimentum legitimum, seu rationem legibus adprobatam. JCtri enim & Imperatores saepissime ita locuti sunt. Sic Papinianus in L. 31. D. de Minor. edicit, servos hereditarios, qui ex fidei commisso recte manumissi sunt, libertatem consequi optimo jure. Sic usuræ præcedente stipulatione promissæ optimo jure debentur L. 1. C. de Usur. Sic Justinianus dicit, Codicillos admissos esse optimo jure pr. J. de Codicill. Exempla quoque in dicta Lege 21. & seq. ab Ulpiano adducta declarant, per optimam rationem hic intelligi causam LL. adprobatam. Dicit enim moram factam non videri, si debitor amicos vel fidejussu.

jussores requirat ad commodam debiti solutionem, vel exceptionem aliquam alleget, cum in mora non sit, a quo pecunia propter exceptionem peti non potest, L. 4o, in fin. D. de rebus credit, vel si debitor reipublica causa subito abesse coactus sit; ut defensionem sui mandare non possit, vel in vinculis hostinque potestate esse cœperit, L. 21. & 23. D. de Usur. ibique Gothofr. in notis. Hæc aliaque exempla ex L. 17. §. 3. L. 34. D. de Usur. L. 39. D. de Solution. L. 63. D. de R. I. do- cent, nullam aliam, quam justam causam à mora excusare.

## §. XLIII.

*Causa fatua  
non excusat  
Vassallum re-  
novationem  
feudi non  
petentem.*

Licet quoque multi Doctores putent, nostrum bro- cardicum magnum præbere usum in causis feudalibus, & causam fatuam excusare vassallum, investituræ renovationem intra tempus legitimum non petentem, ut propterea feudo privari haud possit; Existimo tamen hanc doctrinam genuinis juris feudalis principiis haud convenire. Vassalus enim intra legitimum tempus renovationem investituræ haud petens feudo pri- vatur, nisi justam excusationis causam habeat, vid. 1. F. 22. pr. nec non 2. F. 24. pr. 2. F. 52. in fin. 2. F. 55. vers. pre- terea in fin. 2. F. 97. Per justam vero excusationis causam excluditur omnis causa fatua, ita, ut vassallum alia non excuset causa, nisi ea, quæ legibus est adprobata. Va- na itaque & frivola est Borcholti in Tract. de Feudis C. 8. n. 23. & aliorum illatio, qui asserunt, dolum requiri ad feudi privationem ob non petitam intra annum & diem investituram, à dolo vero quamlibet causam excusare. Notum enim est, ad privationem feudi non so- lum requiri dolum, sufficere etiam latam culpam vassalli, quæ in nostro negotio dolo ita æquiparatur, ut

ut vasallus ob latam culpam feudo possit privari *vid. 2.*  
*F. 55. pr. in fin. & Rosenthal de feudis C. 17. Concl. 56.* Ex quo sua sponte fluit, brocardicum nostrum hic inutiliter allegari, in primis cum Doctores putent, causam fatuam a lata culpa non liberare *vid. supr. C. 2. §. 12. p. 50.* Nec obstat distinctio Frisiae, qui in *Disputat. de caus. Fat. §. 12.* distinguit inter vasallum, qui ob culpam feudo privatur, & inter eum, qui ob dolum punitur; quo ultimo casu regulam nostram obtinere statuit. Nam respondeo: Si Vasallus ob dolum puniatur, dolus indicis perspicuis probari deberet, ubi vero perspicua ad sunt dolii indicia, ibi Vasallus ad fatuam causam frustra provocabit. Ubi autem haec deficiunt, ibi ob dolum puniri non potest, inepte itaque causam fatuam ad excludendum dolum allegabit.

## XLIV.

Reliqua brocardi nostri ampliationes varia exhibent delicta, divino & humano jure prohibita, in quibus dolus est de substantia. Deducuntur autem haec ampliationes ex nostro brocardico, tanquam ex principio certo & a nemine in dubium vocato. Quernadmodum vero hujus injustitia supra demonstratur, est, ita destructio principio, conclusiones ex eo deductae haud subsistent. Nec video, quomodo causa fatua a delictis excusare possit, quoniam a delictis, quae absque dolo non committuntur, nulla plane est excusatio, & indicia dolii per allegationem causae fatuae removeri non possunt. Quibus adde: has ampliationes non convenire communi Doctorum opinioni. Ji enim Doctores, qui nostram ampliarunt re-

Ancausa  
tua excusat  
a delictis?

gulam, eam simul limitarunt, docentes: causam fatuam allegari non posse, in casibus negotiisque Jure Naturali, Divino, civili prohibitis. Cum vero delicta supra C. II. §. 11. recensita Jure Naturali, Divino vel civili sint prohibita, concludo ex his Doctorum præsuppositis, brocardicum nostrum in delictis locum non habere, sed allegatas ampliationes esse ineptas, falsas, & communi Doctorum opinioni contrarias.

## §. XLV.

*Limitationes  
regule no-  
stre subjeſte  
eam ener-  
vant atque  
abſumunt.*

Ea, quæ haec tenus differui, evincunt, brocardicum nostrum haud convenire principiis justi, naturæ dolii, doctrinæ veterum Prudentium, nec probari per leges, rationes, atque exempla, quibus nostram regulam firmare & corroborare intendunt Doctores, multo minus producere eum effectum, qui vulgo causæ fatuæ attribuitur. Sed nondum omnia dixi, restat, ut ex propria doctorum, qui nostram commendant regulam, confessio ne demonstrem, eam esse ineptam, perplexam, vanam, futilem, fatuam. Regula est: Causa fatua excusat a dolo, haec regula est generalis, ita ut universale sit remedium contra dolum ejusque pœnam, & in omnibus negotiis, quibus dolus intervenire solet, allegari possit. Verum enim vero Doctores, qui brocardicum nostrum commenti sunt atque commentati, multas simul, adduxerunt limitationes, quæ ipsam regulam enervare, absur mere ac absorbere videntur. Excipe a regula nostra negotia, quæ Jure Naturali, Divino & Civili notorio ac indubitate prohibita sunt *vid. Limit. 1, 2, 3.* remove casus, in quibus lex non requirit dolum *vid. Limit. 4.* dic, causam fatuam non excusare à lata culpa & dolo præsumpto

pto. *vid. limit.* s. 6. concede, brocardicum nostrum frustra allegari in delictis judicialibus *vid. Limit.* ii. pone, regulam nostram excusationem non præbere a temeritate; *vid. Limit.* 15. nec locum habere in casu, si agatur de lucro captando, *vid. Limit.* 16. adde: eam nullum producere effectum, nisi a causa fatua omnis ab sit calliditas. *vid. Limit.* 17. Inquire vero simul, an positis his limitationibus multos invenire possis casus, quibus regulam nostram applices, fateor, quod nullum fere reperire potuerim casum, adquem admisisis his limitationibus regulam nostram applicem, & concludo, quod hæ limitationes regulam nostram infringant, destruant, funditusque pervertant.

### §. XLVI.

Sed objicis, multas ex iis, quas adduxi limitatio- *An causa fa-*  
nibus a Doctoribus in dubium vocari, allegas primam, *tua excusatio* in  
quam Vivius *Decis.* 449. Menochius *de Recuperand. Posse.* iis, que sunt  
*Rem.* s. n. 58. Hondædeus *Conf.* 105. n. 27. aliquie rejice- *probibita ju-*  
runt & improbarunt, ea in primis ex ratione, quia hæc *re Natura-*  
limitatio videatur penitus & omnino & in omnibus &  
per omnia communem opinionem destruere. Verum  
enim vero salva res est. Hæc Vivii, Menochii, Hon-  
dædei ratio est indicium malæ causæ, meamque confir-  
mat opinionem. Nam non sequitur, hæc limitatio  
infringit regulam, ergo est falsa. Dolus præsumitur in  
eo, qui mercatur contra jura per C. 64. & 82. de R. J. 6to &  
qui facit ea, quæ contra bonos mores sunt. Cæpoll. *Con-*  
*fil.* 24. Ex his concludo, Brocardicum nostrum cessare  
in iis, quæ jure naturali sunt prohibita. Illustro assertum  
per

per exemplum in L. 38. §. 2. D. ad L. Jul. de adulter. propositum, ubi JCtus dicit, mulierem eam, quam mares sustinere poenam, cum incestum jure Gentium prohibitum admiserit.

### §. XLVII.

*An Causa fatua excusum sit. s. & 6.* An causa fatua excusat à culpa lata & dolos a latetcula præsumpto? ac objicis, quod hæ limitationes brocardi pa & dolos cum nostrum haud infringant. Sed Resp. Non nego præsumpto? Ofascium Decis. Pedemont. 71. n. 17. all. Farinac. in Crim. 2<sup>4</sup>. 91. n. 53. Wesenbec. Consil. 26. n. 50. Friesium Diff. de Causa Fatua §. 24. communi contradicere opinioni atque statuere, causam fatuam excusare a lata culpa. An vero horum doctrina brocardico nostro conveniat, valde dubito. Brocardicum nostrum mentionem facit doli & ad culpam latam inique extenditur, quia inter dolum & latam culpam magna est differentia, cum dolus propositum & consilium malum alterum laedendi, lata culpa autem negligentiam & ignorantiam supinam præsupponat L. 213. §. 2. L. 223. de V. S. Nec probat ratio, qua dissentientes utuntur, quod lata culpa æquiparetur dolo, nam ea non est universalis; licet enim plerique Veterum Prudentiam putaverint, latam culpam in civilibus actionibus dolo comparari vid. L. 7. §. 1. D. de suspectis tutor. L. 1. §. 5. D. de Obl. & action. alii tamen ut Proculus hoc negarunt vid. L. 32. D. deposit. Omnes vero in eo consentire vindicentur, quod lata culpa ratione originis a dolo differat & ab eo distinguatur. L. 8. §. 10. D. Mandat. L. 1. C. Depo- sit. L. 20. C. de Negot. gest. nec in publicis ac criminalibus judiciis lata culpa dolo æquiparari debeat. L. 7. D. ad L. Corp-

*L. Corn. de Sicar.* Altera vero ratio, quam adduxit Dn. Friese in *Diff. de Causa Fatua* §. 24. contrariam opinionem non probat. Audiamus eum: *Cum enim ex supra dictis sponte fluat, animum delinquendi cum fatuam causam non existere, sed abesse cum a fatua operante, adeo, ut inducat etiam bonam fidem, non potest non etiam fatuam causa excusare.* Verum enim vero, quoniam supra §. 4. demonstratum est, causam fatuam absque malitia atque dolo agentis vix concipi posse, bonamque fidem ex errore facti, non vero ex ignorantia juris oriri, non video, qua ratione Dn. Frixi argumentatio subsistere possit. *Quod* vero ad dolum præsumptum attinet, putant Gabrielius L. 7. *Comm. Conclus. de maleficiis concl.* VIII. n. 85. Hondæd. *Consil.* 35. n. 59. & alii causam fatuam excusare a dolo præsumpro, non autem a dolo vero. Sed allegati Doctores, impugnant potius quam declarant nostrum brocardicum & in una eademque re inadvertenter contraria dicunt test. Farinac. *Criminal.* Q. 90. n. 64. Afferunt enim causam fatuam excusare a dolo, per adductam autem declarationem, regulæ nostræ omnem denegant vim atque potestatem, cum dolus præsumptus propriè non sit dolus & distinctione inter dolum verum & præsumptum a Bartolo in *Comment. ad L. 32. D. deposit.* contra analogiam juris & mentem veterum Prudentum excogitata, ab aliis autem tanquam spuria & legibus haud conveniens rejecta fuerit. V. Anton. Matthæum de *Criminib.* L. 48. Tit. 18. c. 4. n. 10.

## §. XLIX.

Instas insuper, limitationem n. 10. propositam: *Causam fatuam non excusare in delictis judicialibus à multis legum Interpretibus vocari in dubium, atque conjunctim in delictis judicialibus?*

O

Quem.

Quemadmodum vero supra demonstravi: Causam fatuam nullam plane præbere excusationem a dolo, ita eum, qui injudicio delinquit, non excusabit, partim quia ex proposito delinquere videtur, qui in judicio delinquit, cum nemo judicem accedat, nisi bene instructus, partim quia gravius delinquit, qui in judicio, quam qui extra judicium peccat. Has ob causas Baldus & post eum alii Doctores recte declararunt regulam communem. Nec obstant ea, quæ Dn. Friese opponit, *cum iuris inquiens loquuntur generaliter nec major uno casu, quam in alio assignari posse ratio, regula in omnibus casibus procedere debet.* Respondeo enim: Brocardicum nostrum est generale, quia vero ad delictum in judicio commissa applicari nequit, hac omnino opus fuit declaratione. Objicis cum Dn. Frisio *l. c.* eam esse ineptam, *quare enim eadem causa non excusaret in judicio & extra judicium cum dolo & is, qui in judicio agit, carere videatur.* Sed dedi diversitatis rationem, qua cum naturæ negotii conveniat, omnino attendi debet. Is enim qui delinquit, videtur esse in dolo, in primis si delictum in judicio committat, quia deliberato consilio agit. Inepte itaque ad causam fatuam provocat, propriam quippe turpitudinem allegat, & fatetur, quod injustis rationibus ductus peccaverit. Quod cum ira se habeat, reliquæ D. Frisi rationes sponte corruunt, falsumque est præsuppositum, quando pergit & omnino obesse causam fatuam, ne dolus & deliberatio presumatur, & sit quod committitur excusabile, supraenim a me demonstratum est, causam fatuam nunquam excusare a dolo.

## §. XLIX.

*Causa fatua* Pergo ad secundum brocardici nostri effectum, & non excusat ex propria Doctorum confessione demonstro, causam fatuam

tuam non liberare à pœna. Doctores enim regulam no- a pœna ex  
stram limitant atque asserunt, causam fatuam non excu- propria Do-  
fare a pœna legali vel statutaria vid. Limit. VII. §. 12. Cap.ctorum con-  
pres. Nostrum itaque brocardicum frustra allegatur, fessione.  
si delictis certæ pœnæ, certis legibus definitæ aliaque  
negotia civilia sub comminatione certæ pœnæ prohibita  
sint. Quod cum ita sit, non video, quomodo hæc limi-  
tatio respondeat limitationi IX, vi cuius causa fatuat an-  
tum excusat a pœna ordinaria, quoniam enim pœna or-  
dinaria est, quæ a lege definitur ac determinatur, eaque  
pœnæ legali atque statutariæ in omnibus convenit, de pœ-  
na ordinaria idem dicendum esse existimo, quod de lega-  
li ac statutaria pronunciarunt legum Interpretes, scilicet  
causam fatuam ab ea non excusare. Quemadmodum  
vero omnes pœnæ sunt vel ordinariæ vel extraordinariæ,  
ab extraordinaria vero pœna causa fatua ad ductum limi-  
tationis IX. non excusat & a pœna ordinaria propter al-  
legatam rationem excusare non potest, ita concludo:  
causam fatuam ex propria Doctorum confessione a pœ-  
na nunquam excusare. Provocas quidem ad limitatio-  
nem VIII. & distinctionem inter pœnam corporalem  
& pecuniariam urges, sed respondeo: Quod Doctores  
pœnas corporales ac pecuniarias partim ad ordinarias  
partim ad extraordinarias pœnas referre soleant, quod-  
que in iis idem jus obtineat, quod in pœnis ordinariis  
atque extraordinariis locum habet.

S. L.

Fatue vero agit, qui defensionis suæ fundamentum Brocardi.  
in causa fatua ponit, nullum enim sentiet commodum, cum nostrum  
sed judiciali auctoritate fatuus atque injustus declarabitur. nullam fere  
Fluit hoc tam ex iis, quæ supra de falsitate hujus Bro-  
habet utili-

cardici proposui argumentis, quam ex propria Doctorum de legitimo regulæ nostræ usu doctrina, docent scilicet causam fatuam non excusare nisi ab allegante probetur, & licet in modo probandi haud convenient, ut supra C. 2. §. 13. differui, omnes tamen dicunt, eum, qui causam fatuam allegat, probare debere, quod hac causa motus peccaverit. Qui itaque ad nostrum provocat brocardictum fatetur, & non solum fatetur, sed etiam probabit vel juramento confirmabit, quod sit fatuus atque injustus, Judex vero officio suo satisfaciens, & delinquentem tanquam confessum & convictum debita poena afficiet. Ex adductis autem concludo, brocardicum nostrum nullum fere producere effectum, & causam fatuam esse fatuam **excusationis** causam.

## §. LI.

*Praxis bro-  
cardici nostri  
est inusta.*

Sed provocas ad communem Doctorum opinio-  
nem, quæ nostrum adprobat brocardicum, producis  
gregem Doctorum, qui nostram commendant regulam,  
allegas præjudicia, quæ hanc corroborant sententiam  
usumque regulæ nostræ evidentissimè ostendunt. Ve-  
rum enim vero, cave, ne communis opinio, quæ saepe  
communis est error, te decipiat, ne multitudo allega-  
tionum, quæ saepe est indicium malæ causæ, te seducat,  
& ne præjudicia atque judicata, quæ saepe præjudicio  
autoritatis & præcipitantiæ natales debent, te in inqui-  
renda veritate impedian. Non pugnamus auctorita-  
tibus, sed rationibus, nec attendimus, quis dicat, sed  
quid dicatur. Sicuti vero supra demonstravi, brocardi-  
cum nostrum ex male intellectis Ulpiani legibus contra-  
mentem Glossatorum è subsequentibus Juris Interpre-  
tibus

tibus esse deductum, Veterum Prudentum doctrinæ, naturæ doli ac causæ fatuæ non convenire, rita ex iis, quæ proposui atque dixi sponte fluit, praxim brocardici nostri repugnare analogiæ juris & esse injustam, irrationabilem & ut multa paucis dicam, fatuam.

## §. LII.

Hæc sunt Lector Benevole, quæ de brocardici nostri fatuitate differere volui. Tu judices, an acu rem tetigerim, & an ea, quæ proposui, argumenta analogiæ juris & doctrinæ Veterum Prudentum respondeant. Plura adponere potuisse in primis de miris regulæ hujus ampliationibus, ne vero præfens pertractatio limites Dissertationis egreditur, hic subsistere placuit. Interim permittes, ut de unico præsentis lucubrationis articulo sententiam meam clarius exponam. Recensui supra (C. 2. §. 7.) inter exempla, quibus Doctores nostrum illustrarunt brocardicum, venditionem ejusdem rei duobus in solidum diversis contractibus factam, quia ex JCrorum disputatione nova rei jam pridem venditæ venditio constat, ut cujusvis alterius alienæ, L. 28. D. de contrab. Empt. add. Hotom. Observ. L. V. C. 15. & Hadrianus hunc casum inter crimina falsi retulit, ita tamen, ut remissius puniatur. L. 21. D. de L. Corn. de falsis. Docui quoque C. 3. §. 26. hunc casum inepte inter regulæ nostræ exempla referri. Quoniam vero B. Tabor, ex cuius analectis ad Barbos Thesaur. hoc exemplum adduxi, ambigue locutus est, & ex all. loco perspicue non apparet, utrum vir doctissimus d. l. casum tanquam exemplum commune brocardicum illistrans proposuerit, an illum tanquam exemplum falsi alle-

Conclusio,

allegaverit, ex citata L. 21. autem patet, posteriorem opinionem priori præferendam esse, hoc exemplum jam reliquorum numero eximo, imo profus deleo atque expundo. Quod reliquum est, peto a Te L. B. ut ea, quæ a me dicta sunt, æqui bonique consulas, nam non pauca esse, quæ vel omissa vel minus recte a me posita sunt, nullus dubito, quæ ut & errata typographica (quorum quædam graviora infra noravi) secundis curis supplebo atque emendabo.

F I N I S.

CHRISTIANUS THOMASIVS, D.

NOBILISSIMO CANDIDATO SUO

BIECKIO

Cum à me peteres, ut materiam disputationis inaugu-  
ralis tibi commendarem, dixi, te non male facturum  
esse, si orbi eruditio ostenderes paulo distinctius fa-  
tuitatem brocardici: *Fatuam causam excusare à dolo.*  
Etenim nihil frequentius est, quam ut JCTi, etiam celebri-  
mi, in scriptis ad hoc axioma provocent, & sententias quan-  
doque absurdissimas hoc brocardico defendere allaborent, item  
ut

ur judices & Collegiorum Juridicorum Assessores, à Collegis suis in quæstionibus de puniendis delictis dissentientes, dum hi fortè urgent, vota eorum omni ratione & jure destitui, nihil aliud hisce monitis opponere soleant, quam, quod etiam fatua causa excusat à dolo. Potissimum autem observare licuit, plerumque prætextum hujus brocardici præter voluntatem eo utentium, dissentientibus collegis vitia horum etiam incognita aut occultata prodidisse. Si enim agatur de puniendo adultero, usurario, calumniatore, homicida, aut ex vindictæ studio aut iræ furore graves alteri injuriæ inferente, deprehendes, si non semper, sàpius tamen, vota mitiora ex variis fontibus ortum ducere, prout videlicet in votantium cordibus vel' amor illicitus, vel avaritia, vel ira subitanæ aut vindictæ studium dominantur, & postea, ex brocardico, quod fatua causa excusat à dolo, defendi. Hí tamen, si non excusationem, saltem misericordiam merentur, quod in Academiis à docentibus tantum non unanimiter brocardicum istud ipsis inculcatum & commendatum fuerit. Cum vero sensus communis, doceat, brocardicum illud non esse opus jurisprudentiæ, sed stultitiae juris, mirari quis posset, qui factum, aut qua ratione possibile fuerit, ut ejusmodi regula aperié stulta, nec stultitiam dissimulans, poruerit se insinuare tot JCris, veram scilicet non simulatam sapientiam & prudentiam profertibus, nisi jam suo tempore a) Erasmus ostendisset, sa- a) in Encyclo-  
pientiam, quam Doctores in Academiis docere sole- mio Morie.  
b) p. 12. 13. En-  
vabant, & ex instituto Paparum debebant, omnem fuisse lar-  
vatam, & re ipsa summam stultitiam; etsi Theologorum, Con-  
cionatorum, Grammaticorum, Dialetticorum, Rhetorum, Phi-  
losophorum moriam magis ad vivum depinxerit, quam JCrto-  
rum & Medicorum, utpote quorum saltem obiter & in tran-  
stitu mentionem facit. b) Debuissent igitur ab illo tempo: b) p. 12. 13. En-  
re JCrts etiam oculos non solum proprios, sed & auditorum comiti Morie.  
suorum aperire, & larvam stultitiae juris Academicae pariter Item p. 144.  
detrahere, ac loco professionum Juridicarum, nihil quam in utor autem  
gentia damna Reipublicæ in singulis Europæ regnis, potiss. edit. Oxoni-  
mum ensi in 12. 1668

mum autem in Germania, producere aptarum, & eum in finem in medio Papatu magna ex parte institutarum, veritatem hanc, quamvis exofam, Regibus & Principibus ostendere. Sed debuissent. Quomodo vero id facere potuisserit Jcti Catholic, cum nec Jcti apud Protestantes post reformationem ad nostra usque tempora stultitiam juris prudentiarum Academicarum, etiam quatenus maxime noxia est, agnoverint, sed v. g. hucusque docuerint, in Jure Canonico contineri magnam & Christianam sapientiam, & id adeo Semper juri civili preferendum esse, quoties agatur de peccato vitando; cum tamen nota ad Lancelottum passim ostenderint, nihil magis noxiū esse statibus politicis & Principibus ac Regibus omnibus, sive Catholicis sive Protestantibus, quam Jus Canonicum, vel eo ipso, quod sub fuso pietatis Regentibus Leptra ex manibus extorqueat, & eos mera mancipia Cleri, Jesuitarum, Pontificis reddat. Cum igitur tam crasse Papatus Politici reliquias in plerisque Academiis Protestantibus adhuc dominentur, postulat humanitas, ut non irascamur Doctoribus pragmaticis, stultitiam subinde stultitiae addentibus, & adeo fatuam causam à dolo excusare inculcantibus, et si hanc fatuam doctrinam neque ex Jure Justinianeo, neque ex Jure Canonico hauserint. Interim tamen opera est danda ingenuis Juris prudentiarum verarum Cultoribus, ut quotidie magis magisque reliquias illas stultitiae antiquae perspicue & palpabiliter quidem, sed modeste & absque rancoris signis ostendant; atque adeo & hæc meditatio me impulit, ut tibi thema hoc inaurale præ aliis commendarem.

Paruisti consilio tibi dato, & ante aliquot menses disputationem a Te elaboratam mihi exhibuissi eum in finem, ut que ibi forte emendanda essent, corrigerem, & addenda adderem. Sed reddo eam tibi absque emendatione & additionibus, cum noluerim variis ex causis falcam in alienam messem mittere, inter quas præcipua fuit, quod in perfectione sapientiae quidem interrupta, observaverim tamen, te in elaboratione magnam adhibuisse diligentiam, & methodo usum fuisse non  
vitio-

vituperanda, ac denique in refutatione communis doctrinæ ita te exhibuissé, ut dissentientes non haberent ullam causam, nisi forte fatuam, te accusandi, quod limites modestiæ transgressus fueris, aut sophistice cum iis egeris. Cum tamen in perlectione simul observaverim, pauca quadam esse etiam monenda, non ægre feres, ut & de illis hoc loco simul mentem meam aperiam.

Quod igitur caput primum Dissertationis tuæ attinet, valde mihi placuit, quod in eo clare & perspicue ostenderis, Brocardorum & regularum juris in genere majorem esse abusum, quam genuinum usum, quodque de origine & progressu utriusque satis distincte sententiam tuam declaraveris, ut quod hic addam vel moneam nihil restet. Excusandi tamen & hic sunt, à quibus dissentis, cum ex antiquo Academiarum instituto in quibusdam Academiis, etiam apud Protestantes, peculiari & insita in Facultate Juridica Professio sit Regularum Juris, & in Jure tam Civili quam Canonico peculiares de Regulis juris tituli extant, adeoque communis Jctorum antiquorum persuasio per traducem ad posteros fuerit propagata, ut studiosi juris a regulis juris debeant initium facere, tum demum ad Institutiones progredi &c. Hanc methodum & ipse in Academia patria suau Præceptorum observavi, sed tamen experientia propria deprehendi, vera esse, quæ doces, hac methodo magis confundi tyrones, quam ut ad genuinam jurisprudentiæ doctrinam percipiendam aptiores reddantur, & debito modo præparentur.

Laudo etiam ac commendo diligentiam in capite secundo adhibitam in ostendendo ortu & progressu fatui hujus brocardi in specie, quod fatua causa excusat à dolo, item in iis, quæ de fundamento (seu textibus juris, unde occasionem sumserunt Glossatores hoc brocardicum formandi) item de rationibus ejus, exemplis, ampliationibus, limitationibus, cautelis, casibus practicis, & de primis hujus brocardi impugnatoribus adnotasti. Id saltem hic addere liceat. Etsi tempus non permittat, ut autores, qui brocardico hoc utuntur, quosque

P

in

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

CAPUT II.

DE ORIGINE ET PROGRESSU BROCARDICI  
CAUSA FATUA EXCUSAT A DOLO.

Cause fatua definitio §. I. Fundamentum, effectus, sensus brocardici, causa fatua excusat à Dolo. §. II. Prima hujus doctrine Initia. §. III. Progressas §. IV. Fundamentum. §. V. Rationes IV. §. VI. Exempla, §. VII. Ampliationes. §. VIII. IX. X. XI. Limitationes §. XII. Causa fatua ab allegante probari debet. §. XIII. Usus Brocardici apud veteres & recentiores in primis apud Germanos. §. XIV. Varia exempla ex Carpz. Philipp. Homburg. §. XV. Tabor, Rebhan, Zillius brocardicum nostrum rejecerunt. §. XVI. Fries communem opinionem contra Taborem defendit. §. XVII.

CAPUT. III.

EXAMEN BROCARDICI VULGARIS CAUSA FA  
TUA EXCUSAT A DOLO.

Nevi brocardici nostri. §. I. Causa fatua non excusat à dolo quia 1) à dolo nulla est excusatio §. II. 2) Causa excusationum debent esse justæ. §. III. 3) Causa fatua absque dolo concipi vix potest. §. IV. 4) Hæc sententia non convenit doctrinae Ulpiani §. V. Examinatur Tiraquelli responso ad alii. Ulpiani Leges. §. VI. D. Frisi Responsio ad L. 5. pr. D. de Serv. corr. §. VII. & ad L. 3. §. 4. & 5. D. de hom. liber. exhib. §. VIII. Responso ad L. 12. §. 3. D. de lib. caus. §. IX. Respondetur objectionibus Dn. Frisi. §. X. Resp. ad L. 46. §. 7. D. defuris. §. XI. Resp. ad L. 7. §. 4. D. de Jurisd. §. XII. Resp. ad L. 25. §. 6. D. de hered. Petit. §. XIII. Resp. ad L. 11. §. 10. D. de Interrog in jur. fac. §. XIV. Resp. ad L. 11. §. 11. D. de Interr. in jur. fac. §. XV. Resp. ad L. 71. §. 8. de acq. vel am. hered. §. XVI. Resp. ad L. 3. §. 21. & 22. de SCt. Silanian. §. XVII. Resp. ad L. 6. pr. D. de acq. vel am. possess. §. XVIII. Resp. ad L. 1. §. ulti. D. de abig. §. XIX. Resp. ad L. 2. D. ad L. Fab. de Plagiar. §. XX. Resp. ad L. 3. pr. D. ad L. Fab. de Plagiar. §. XXI. Examen rationis i.e. §. XXII. Resp. futu-

## CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

futatio rationis 2e §. XXIII. Examen rationis tertiae §. XXIV. Examen rationis IV<sup>e</sup> §. XXV. Exempla adducta regulam nostram non illustrant. §. XXVI. An fama publica excusat à dolo? §. XXVII. An consuetudo irrationalis excusat à dolo? §. XXVIII. An dispensatio subreptitia excusat à dolo? §. XXIX. An credulitas excusat à dolo? §. XXX. An temeritas excusat à dolo? §. XXXI. An error juris excusat à dolo? §. XXXII. An ignorantia juris excusat à dolo? §. XXXIII. Examen ampliationis VIII. §. XXXIV. An causa fatua excusat à pœna? §. XXXV. Examen ampliat. X. XI. & XII. §. XXXVI. Causa fatua non excusat iudicem à pœna L. 7. D. Quid fals. Tutor. §. XXXVII. An causa fatua excusat a mala fide & fructuum restitutione? §. XXXVIII. Examen ampliationis XVI. & XVII. §. XXXIX. Examen ampliationis XIII. XIX. XX. §. XL. An causa fatua excusat à contumacia? §. XLI. An causa fatua excusat à mora? §. XLII. Causa fatua non excusat vasallum renovationem feudi non petentem. §. XLIII. An causa fatua excusat à delicia? §. XLIV. Limitationes regule nostra subjectæ eam enervant atque absumunt. §. XLV. An causa fatua excusat in ito, que sunt prohibita jure naturali? §. XLVI. An causa fatua excusat a lata culpa & dolo presumpto? §. XLVII. An causa fatua excusat in delictis judicialibus §. XLVIII. Causa fatua non excusat à pœna ex propria Dd. confessione. §. XLIX. Brocardicum nostrum nullam habet utilitatem §. L. Praxis Brocardi. ci nostri est injusta §. LI. Conclusio §. LII.

## ADDENDA & EMENDANDA.

p. 3. lin. 3. leg. Maximes. p. 8. in not. lit. p. lin. 7. leg. vīgegoloyiāv. p. 22. in not. litt. LL. Lin. 8. post verba Ex s. fin. J. de susp. Tutor. add. fabricarunt regulam. p. 23. in not. lit. KK. post verba L. 8. D. de accus. add. eliciunt regulam. p. 35. lin. 1. Leg. agendum. p. 42. lin. 17. leg. usq. p. 45. lin. 4. post verba in repertor. voc. add. Fama & p. 46. Lin. 19. leg. c. 60. X. de Appell. p. 55. lin. 7. leg. usq. p. 59. lin. ult. leg. L. 37. §. 1. D. de Minor. p. 77. lin. 11. Leg. acquirende.

in singulis thesibus allegasti, evolvam; certus tamen sum, & vel ex ipsis collectionibus tuis passim persuasus, istos antagonistas tuos nec in fundamento, nec in rationibus, nec in exemplis, nec in ampliationibus, nec in limitationibus, nec in cautelis, nec in casibus practicis inter se ubique consentire, sed infinitas hic occurrere dissensiones & opiniones communes contra communes. Hanc observationem ipse, quamvis obiter, suppeditasti in illis, quæ §. 4. & 13, adnotasti, & quod in recensendis ampliationibus modo hunc modo alium autorem allegaveris. Hac occasione tamen à te nequaquam postulo, ut labore plus quam Herculeo annotare debueris infinitos hos dissensus, interim suadeo saltem, ut forte in secundis curis inquiras, annon paulo distinctiores meditationes de origine & progressu fatuæ hujus doctrinæ capiti huic secundo suo loco addere possis, eumque in finem extemporaneas has meditationes meas communico. Nulla doctrina est tam fatua ac absurdâ in omnibus quatuor Facultatibus Academicis, quæ non pedetentim aucta fuerit, ut dato uno absurdo leviori, sequuntur plura eaque graviora. Sic & hic factum videtur. Aetiones humanae vel ita sunt comparatae, ut ex earum circumstantiis, vel nullus dolus presumatur, vel circumstantia earum presumptionem & probationem doli suppeditent. Prioris generis quæ sunt, dicuntur indifferentes, posterioris generis utrūque sunt, & delicta aut crimina appellari consueverunt. Ad primam classem pertinent regulariter pacta, contractus, exercitia & defensiones juris sive ex jure personarum, sive ex iure rerum competentis. Ubi igitur dolus non presumitur, haud dubie ab allegante dolum is probandum erit, & quam diu id non fiat, non opus est, ut alter se excusat, cum quilibet presumatur bonus. Quod si tamen ex imperitia juris id faciat, & ex superfluo causam quandam, per quam se à dolo excusare velit, afferat, ex dictis, (& quod insuper secundum vulgare illud brocardicum superflua non noceant) sua sponte sequi videtur, quod hæc allegatio causæ, qualiscunque etiam, ipsi nocere non possit; & sic quamvis minus proprio à dolo (nec presumto

sumto nec probato) eum excuset. Atque adeo hoc intuitu  
 ab initio Glossatores dixerunt, fatuam causam excusare à dolo,  
 cum nulla excusatione hic sit opus. Et sic intelligo rationem  
 secundam à te §. 6. adductam. Hæc vero assertio, et si parum  
 accurata sit, sed valde ambigua & magis jocosa, quam Jurecon-  
 sulto digna, tolerari tamen poterat, cum exinde si in his ter-  
 minis maneat, nihil sequatur absurdum, uti toleramus jocum  
 vulgarem: Reim Beten hilft nicht; kein Fluchen schadet nicht, si  
 nimurum eum ita explices; omittere preces non prodesse, &  
 omittere imprecations non nocere. Atque hanc fuisse pri-  
 mam originem hujus brocardi exinde persuasus sum, quod  
 ipse annotaveris §. 5. p. 40. omnes Doctores, qui hoc brocar-  
 dico utuntur, provocare ad textum Ulpiani in l. 12. §. 3. de liber.  
*causa.* Agit enim ibi Ulpianus non de delicto vel criminis, sed  
 de actione indifferenti, & afferit, quod is, qui etiam ex non ju-  
 stis rationibus in libertate moratus fuerit, non presumatur dolo  
 malo id fecisse, donec dolus probetur. Hic equidem Glossa  
 dupliciter peccavit i.) quod rationem seu causam non justam,  
 & causam *injustam* ac denique *fatuam* habuerit pro Synonymis;  
 2.) quod in propositione: per allegationem causæ non justæ  
 non oriri presumptionem doli, mutaverit prædicatum, & loco ejus  
 posuerit excusationem à dolo. Si tamen meam sententiam di-  
 cere deberem, putarem posterius assertum magis fuisse noxiū,  
 quam prius, & majorem occasionem dedisse ampliationibus  
 stultis aliorum Glossatorum, qui postea dixerunt, allegatio-  
 nem causæ fatuæ etiam excusare à delictis & criminibus, & ad-  
 eo à dolo præsumto vel probato. Atque hi ad augmentum  
 hoc seducti videntur, quod viderent, eundem Ulpianum (se-  
 cundum ea, quæ iterum notasti d. p. 40.) in l. 46. §. 7. de furtis.  
 docuisse: *Falsam* etiam (i. e. erroneous) opinionem de domi-  
 ni voluntate excusare à præsumptione furti, & int. 7. §. 4. de Ju-  
 rid. eundem assertuisse, quod etiam *imperitia* & *ruficitas* excuset  
 à præsumptione doli & contemnus voluntarii Prætoris. Ita enim  
 ex imperitia doctrinæ moralis videntur argumentati esse. Agi-  
 tur hic haud dubiè de criminibus, nempe de furto & contem-  
 tu

tu Prætoris, actiones vero criminosaæ inferunt præsumptionem doli, ergo etiam causæ fatuæ excusant à dolo præsumto. Deinde sic ratiocinati sunt : Quicquid est falsum & erroneum, non est verum, quicquid non est verum, est stultum, ergo falsa causa & fatua causa sunt synonyma. Porro imperitia & rusticitas hic sumuntur pro ignorantia veritatis & in specie legum. Ejusmodi ignorantes autem non sunt eruditii. Eruditio vero & sapientia sunt synonyma ergo & ignorantia, imperitia, rusticitas & stultitia tanquam opposita sapientiae sunt synonyma. Scilicet tum temporis pro Statu Academiarum nequaquam cognoscere poterant docentes, quod etiam eruditii (in omnibus facultatibus Academicis) non pauci esse possent & essent stulti, & quidem illi vel maxime, qui sibi & aliis persuadebant, eruditonem quamvis esse sapientiam. Neque adeo ad sapientiam & prudentiam sufficere cognitionem veritatis, neque etiam errorem omnem reddere stultos. Ut taceam, etiam non omnes actiones, quarum occasione aliquis de delicto vel crimine conveniri vel accusari potest, ita esse comparatas, ut ex illis oriatur præsumtio & probatio criminis. v.g. Non omnis contrectatio rei alienæ invito domino est furtum, sed fraudulenta; Ergo sola contrectatio invito Domino facta, si alia circumstan-  
 tia defint, non facit præsumptionem doli nec ad probationem furti sufficit. Iste vero absurdis semel admisisse secura sunt adhuc graviora, ut alii in omnibus delictis, quorum actiones perspicue inducunt præsumptionem & probationem do-  
 li etiam admiserint excusationem à dolo sic præsumto vel probato &c. Plura non addo nisi, ut in gratiam lectoris & me-  
 lioris declarationis gratia adjiciam locum pene parallelum Ta-  
 boris, à te ipso mihi suppeditatum, in Armanum, Infinianum. Inquit, de  
 admenatione cap. 2. §. 7. Vol. i. oper. p. 490. seq. „Interim, inquit,  
 teneamus distinctionem inter facta licita, illicita & media.  
 Inlicitus dolus non præsumitur, sed probandus est. d. l. 12.  
 §. 3. (ibi: in libertate morari) de liber, causa. Neque enim  
 delictum committere, aut poenam mereri censetur, qui facit  
 ali-

aliquid jure permittente, sive qui actum jure permisum su-<sup>cc</sup>  
scipit l. Gracius. 4. C. ad L. Jul. de adult. Ex adverso in illici-<sup>cc</sup>  
tis, & in primis in probris naturalibus l. 42. de V. S. dolus re-<sup>cc</sup>  
gulariter præsumitur. can. qui contum jus 82. de R. J. in 6. Wesenb.<sup>cc</sup>  
in part. ad L. Cornel. de Sicar. n. 10. Unde delinquens sive qui  
illicita rei dat operam l. 6. C. ad L. Jul. de vi publ. Dn. Carpz. 1.<sup>cc</sup>  
quest. Crimin. I. n. 29. non excusat per allegationem cuiusvis  
causæ; sed demum probatione causa justæ l. 5. (ibi: si non con-<sup>cc</sup>  
vicii causa te aliquid injuriosum dixisse probare potes) C. decc  
injur. Bargalius l. 6. de dolo reg. 13. n. 13. & 14. Ubi nominatim  
in cede, perjurio & falso, oppositum Dd. brocardicum falle-<sup>cc</sup>  
re dicit. Itemque Alciat. reg. 3. presunt. c. 30. n. 6. Peckius ad d.<sup>cc</sup>  
can 82. de R. J. in 6. n. 3. Denique in factis mediis, qualia sunt,<sup>cc</sup>  
recipere hominem, abigere pecus, & similia, distinguendum  
est, an species aliqua diserte prohibita sit nec ne. Peckius d.<sup>cc</sup>  
loco n. 2. Priore casu itidem justæ causæ allegatio & probatio  
simul requiritur. l. doli verbum 5. (ibi: probata justa ratione)<sup>cc</sup>  
de serv. corrupt. l. 1. §. ult. de abig. Posteriore demum casu, quia  
factum in licita incidit, qualiscunque etiam causa à dolo, non  
apparente nec præunte, excusat. Cum contra virum bo-<sup>cc</sup>  
num in factio non prohibito verstantem dolus non presuma-<sup>cc</sup>  
tur. l. merito. s. pro socio. sed perspicuis indicis probandus  
sit. l. dolum 6. C. de dol. mal. latif. Dn. Klock. de contribut. c. 19. n.<sup>cc</sup>  
164. p. 477. Nec officit l. 46. §. 7. defurt. Licet enim illa sub-<sup>cc</sup>  
tit. de furtis posita sit; attamen §. oppositus, non continet fa-<sup>cc</sup>  
ctum certum furti: sed factum ambiguum sive ēn rāv μέτων,<sup>cc</sup>  
nempe rem amici attingere §. 7. de oblig. ex delict. Quæ ante-<sup>cc</sup>  
denunciationem arg. l. si fundum. 17. C. de Rei Vind. Peck. de n. 2.<sup>cc</sup>  
facile potest excusari non equidem brutal ratione (quod ibi-<sup>cc</sup>  
dem nullatenus dicitur) sed allegatione alicujus causæ vero-<sup>cc</sup>  
similis. d. l. 5. De serv. corrupt. l. 3. §. 4. vers. & generaliter. de  
hom. lib. exhib. Licet ea per domini dissensum & improbatio-<sup>cc</sup>  
nem subsecutam vel aliunde falsa apparuit. Quod si vero  
futrum revera perpetratum, h. e. contrectatio invito dominos  
& reclamante seu prohibente admissa fuisset; nullius false-<sup>cc</sup>

aut fatuæ causæ allegatio vel probatio reum à delicto absol.<sup>cc</sup>  
veret. Hactenus Tabor.

In capite tertio, ubi respondes dissentientibus & assertiones eorum refutas, miror patientiam tuam, & quod tantum temporis impenderis in refutandis eorum non solum principiis, sed & conclusionibus & ampliationibus &c. prope singulis, cum alias potueris in his conclusionibus brevior esse, quia destructis fundamentis sua sponte corruere solent superstructa. Nolle tam excusandi tui causa afferre, te hac in parte voluisse imitari Autores hujus brocardici, qui communiter vel eruditionem in multiloquentia querunt vel certe adversarios suos aut dissentientes tanquam minus eruditos contemnunt, si brevitati studeant; sed potius credo, te cogitasse, quod unius rei (conclusionis, ampliationis &c.) plures possint esse causæ, & quod adeo singulis conclusionibus etiam plures responsiones & objectiones possint opponi, & quod boni & perspicui disputatores non solum contenti esse soleant, si unam præmissarum negaverint, aut falsam esse ostenderint, sed idem etiam faciant, si & altera monito opus habeat, imo & absque vicio disputandi non nunquam conclusionem in argumento adversarii non relinquant intactam, si v. gr. non vere contradicat thesi &c. Interim tamen nullus dubito, quod in multis locis potuisses esse brevior, si classes istas duas modo indicatas, videlicet casus legum & assertiones Doctorum, quæ agunt de dolo non præsumto, & quæ supponunt dolum præsumptum & probatum, separasses, cum jam ostenderim in prima classe magis adesse locutionis & phraseos improprietatem & impertinentiam, quam propositionis falsitatem. At in altera classe ubique ostendenda erat fatuitas, nec poterat error communis brevioribus observationibus demonstrari, ob frequentiam & variationes dissentientium modo veram & justam causam cum fatua confundentium, modo contra principia juris & leges, stultis & injustis causis excusationem à dolo tribuentium, & insuper hic etiam pasim variantium. In prima

ma vero classe his ambagibus non videbatur esse opus. Ita sufficiebat, ut mihi videtur, in §. 9. notasse, Ulpianum in L. 12. §. 3. de liber. cauf. agere de casu, ubi dolum non præsumitur, quod etiam videris innuisse in fine dicti paragraphi p. 69. & in seq. §. 10. p. 70. item §. 30. & poteras adeo supersedere observatione illa prolixiori, et si non ineruditam de differentia inter causas non justas & injustas ac fatuas d. §. 9. p. 68. Idem videtur esse monendum circa ea, quæ disputas §. 13. 14. 15. 16. & 18. & forte in aliis etiam locis. Porro, ubi in specie de imperitia & rusticitate agis, ut e. g. in §. 12. & 17. multum ad illustrationem sententiae tuæ conduxisset, si ostendisses ineptitudinem doctrinæ Glossatorum. (Secundum ea, quæ jam ad caput tuum secundum anno: avi) quasi imperiti & rusticæ stulti essent ac fatui. Denique ratio tua præcipua & in ordine prima, quam fundamenti loco quasi ponis, quod à dolo (scilicet probato aut præsumto) nulla sit excusatio, paululum durior videtur. Regulariter dolus ex conjecturis probatur & præsumitur, non ex argumentis apodicticis vel mathematicis. Adeoque regulariter probations & præsumtiones dolis admittunt præsumtiones & probations contrarias ex aliis conjecturis, quæ si fortiores sint prioribus, ut saepe fieri solet, non solum excusant a dolo, sed & dolum antea probatum, & præsumtiones inde in animo judicis ortas, plane destruunt. Agnoscis id ipse in §. statim sequente 3. adeoque poterat prote responderi, Paragraphum 2. & 3. non esse separandos sed conjungendos; nisi ista prior assertio simpliciter in sequentibus aliquoties fuisset repetita, ut in §. 27. in fine p. 85. §. 28. p. 86. §. 32. p. 90. &c. & in posterioribus duobus locis insuper etiam a te fuisset additum, causam, etiam justam, perspicua dolis indicia removere haud posse, item quod indica dolis perspicua per allegationem erroris, etiam justi, non possint removeri, quæ sane, quomodo cum dicta thesi tua tertia conciliari possint, haud quaquam video. Sentio equidem, te forte in voce perspicua utrobique addita posse asylum querere & inde effingere aliquem conciliationis modum:

dum: sed tamen prævideo etiam, majoris esseponderis, quæ  
adversus hunc prætextum excipi posint.

Quare non ægre feres, quod pro ingenuitatè mea & amo-  
re erga Te pauca ista monita hic apposuerim, quibus forte  
non fuisset opus, si tempus mihi superfuisset, ex collectaneis  
tuis dispositionem quandam tibi præscribendi, ad cuius nor-  
mam disputationem hanc elaborasses. Sed cum ex discursu  
tuo, cum adhuc evolveres magno cum labore Autores bro-  
cardicum hoc introducentes & defendantes, subinde percis-  
perem, te non adeo opus habere dispositione attentius elabo-  
rata; totum hoc negotium judicio & diligentia tua reliqui, ac  
spero, etiam Lectores alios primo hoc specimine dissertationis  
a Teipso elaborata fore contentos. Utinam vero multi da-  
rentur Candidati Tibi hac in parte similes! Igitur perge, uti  
cœpisti, & impoterum in monstrandis erroribus communibus  
aliis declara, quod non temporis fallendi gratia librorum le-  
ctioni incumbas, sed quod & proximo prodeesse cupias.

Vale. Dabam in Academia Fridericiana, die

7. Novembr. 1720.



COROL-

# COROLLARIA.

I.

**R**efert Carpzovius Prax. Crimin: Q. 39. n. 12. incendia-  
rios quosdam incendium confessos esse, sed loco ex-  
cusationis attulisse, quod nequaquam ea intentione id fece-  
rint, ut is, cuius domum incenderant, bona sua perderet, sed  
potius, ut, si incendio orto vicini suppellestilem suam in pri-  
mo terrore in via publica exponerent, ipsi sic occasionem nan-  
ciserentur, res quasdam uni ex vicino furto ablatas, sed à do-  
mino ipsis rursus ademtas iterum recuperandi, & novo fur-  
to auferendi. Addit Carpzovius, anno 1596. Scabinos Lipfi-  
enses pronuntiasse, quod hi incendiarii ob hanc excusationem  
non sint puniendi pœna incendii ordinaria, sed simplici pœna  
gladii. Ipse vero nescit, quid de ea pronuntiare debeat, modo  
enim hanc excusationem videtur inter bestiales referre vo-  
luisse in num. preced. 10, modo ad causas probabiles n. 12. Inter-  
rim tamen ipsam sententiam approbare voluisse videtur. Ego  
habeo revera pro causa bestiali & fatua, adeoque non adpro-  
bare possum sententiam Scabinorum, eos tamen excuso, quod  
ita pronuntiaverint in seculo, ubi adhuc ubique regnabat Ju-  
risprudentia bestialis & fatua.

II.

Alter casus, ibidem relatus n. 13. & à Scabinis 1619. deci-  
sus, majorem indicat prudentiam successorum. Condemnave-  
rant enim aliam incendiariam ad pœnam ignis, quamvis ea ad-  
huc in juvenili ætate esset constituta, & multi viri probi ac ami-  
ci pro ea intercessissent, & insuper ejus sponsus eam instigasset  
ad hoc incendium, ac forte absque hac instigatione id fa-  
ctum non fuisset.. Interim quia hic plures concurrebant cau-  
ſæ, etſi non plane ſufficientes, neque tamen etiam bestiales aut  
fatua, addiderunt clausulam confuetam: Man wolle Dann in An-  
ſeben &c. & mitiorem pœnam gladii adjecerunt, quamvis & hac  
clausula non debeat adhiberi intuitu judicis inferioris, sed in-  
tuītū Principis, & quando de jure aggratiandi sermo est.

III. Pa-



## COROLLARIA.

### III.

Pariter dissensio à Carpzovio & Scabinis ab ipso adductis  
P. 4. Constitut. 3. definit. 18. Verba sententiaꝝ hęc sunt: Hat  
nummehr Inquisitio ihr Bekanntniß richtig gehabt und gestanden,  
daß sie ihr Kind, welches sie lebendig zur Welt gebohren, ersticket  
und umbgebracht, immassen sie dann auch hiebevor ausgesaget, daß  
sie gewaltsamer Weise genothüchtiget, und geschwächet worden sey,  
so wird sie gestalten Sachen nach mit den Schwerd vom Leben zum  
Tode billiggebracht. Quæ? qualis? quanta? Dixit se fuisse stu-  
prum violentum passam, ergo pena infanticidii ordinaria non  
habebit locum. Etenim primo dixit, sed non probavit, & vul-  
garis est excusatio, sed plerumque frivola stupratarum, quod  
falso dicant, se vim passam esse. Deinde et si verum fuisset, in-  
fanticidiam vim passam esse, qua ratione exinde concludi po-  
terit, ergo non dolose egit, infantem interficiendo. Putat qui-  
dem Carpzovius, Scabinos ideo pro ipsa pronuntiasse, quia per  
infanticidium maculam existimationis averttere voluerit. Sed  
präterquam quod vim veram passa pro infami non sit haben-  
da, si hęc ratio fuisset Scabinorum (de quo tamen adhuc  
dubio) aut si hęc ratio quid obtineret, deberent pleraque, si  
non omnes, infanticidę, etiam vim nequaquam passa, à pena  
infanticidii ordinaria excusari, quod tamen afferere velle, fa-  
zuum esse arbitror.

### IV.

Quod vero reliquos casus practicos supra C. 2. §. 15. a me  
allegatos attinet, consentio quidem cum sententiis judicialibus  
ibidem adductis, penas criminum ex variis rationibus mitigan-  
tibus, sed nego, causas istas esse fatuas & bestiales, et si Do-  
ctores istas sententias referentes, ad eas defendendas brocardi-  
cum nostrum si non præcipue, saltem incidenter adducant.  
Sed potius rationes & circumstantiaꝝ ibi occurrentes sunt, si non  
evidentes, saltem tamen probabiles & verosimiles, vid. Carp-  
zov. Criminal. Q. 13. n. 44. Q. 47. n. 51. & 52. & Qu. III. n. 142.  
item P. 4. Conf. 38. Def. 2. Philipp. Uſ Pract. Inst. L. 1. Eclog. 18.  
cui

## COROLLARIA.

cui adde, quoad casum ibi recensitum, prolixum responsum  
in casu simili apud Taborem Oper. Tom. I. p. 493. sqq.

### V.

Nulla est pugna inter L. 20. pr. & L. 46. D. de A. R. D. nam  
prior proponit regulam, posterior exceptionem à regula.  
JCTi enim Romani per formulam non novum est (qua uritur Ul-  
pianus in d.L. 46.) exceptionem a regulis alio loco positis, ple-  
rumque proposuerunt V. L. 26. D. de LL. & L. 85. §. i. D. de R. J.

### VI.

Ex L. 29. §. i. D. de Probat. colligi nequit. Quod matrie  
confessio de adulterio non prejudicet filio, quasi esset ex adulterio na-  
tus. Vid. Brunnem. in Commentar. ad h. L.

### VII.

Distinctio Pactorum dotalium *in simplicia & mixta* est com-  
mentum Glossatorum, ideo tamen rejicienda haud est.

### VIII.

Res pecunia dotali comparata non est dotalis, nec uxo-  
ri, cuius pecunia dotali maritus fundum emit, utilis vindi-  
catio competit.

### IX.

Nullus est dissensus inter Ulpianum in L. un. §. 3. D. de  
Remiss. & Julianum in L. 14. D. de N. O. N.

### X.

Ex L. 50. D. Fam. Ercist. inepte deducitur regula universa-  
lis; *Quaecunque Pater filio in Academiis viventi dedit, assignavit vel*  
*misiit, illa ab omni onere collationis excepta presumitur.* Vid. Benigks  
Jurispr. Axiomat. p. 4.

### XI.

L. 2. C. de restind. vendit. non locum habere in transactio-  
nibus, verius est.

Q. 2

CON.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

CAPUT I.

ORIGO ET USUS BROCARDICORUM.

Brocardica unde deriventur §. I. Brocardicorum Descriptio & requisita. §. II. Brocardicorum seu Regularum Juris origo. Q. Mutii Scavola collectio Regularum Juris. §. III. Mafuri Sabini & aliorum JCTorum Romanorum studium in colligendis concinnanduque regulis juris. §. IV. Tribonianus Collectio. §. V. Glossatorum & primorum juris Interpretum studium in colligendis regulis juris. §. VI. Studium brocardicorum à Balduno alisque reprobatur; sed frusta. Collectiones Regularum & brocardicorum juris à recentioribus Dd. editae. §. VII. Usus Regularum juris. Regule Veterum Prudentum juris incertitudinem augent. §. VIII. Difficile est aliquid in universum definire. §. IX. Regule juris non sunt perpetue. Testimonium Juliani. §. X. Applicatio regularum juris est difficilima. §. XI. Testimonium Pauli in L. i. D. de R. J. §. XII. Favoleni ex L. 202. de R. J. & Quintilian. §. XIII. Usus regularum juris Rom. in fo-ris German. §. XIV. Usus brocardicorum est periculosus quia ex incertis fontibus deducuntur. §. XV. Multis sca-tent navis. §. XVI. Noxios effectus in studio juris produ- cunt. §. XVII. Rationes eorum, qui Brocardica commen- dant. §. XVIII. Brocardica non continent vera & genuina juris fundamenta. §. XIX. Integra legum verba non refe- runt §. XX. exiguum in decidendis controversis usum pre- sent. §. XXI. Non habent juris auctoritatem. §. XXII. Brocardicum: Regularam pro se habens jus certum habere dicitur, re- pugnat analogiae juris. Brocardicum: secundum regulam judicandum est, nisi contrarium probetur, pugnat cum effato Pauli in L. i. D. de R. J. §. XXIII. Cautela circa brocardicorum usum. §. XXIV. Transficio ad caput secundum.

CAP. II.

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

CAPUT II.

DE ORIGINE ET PROGRESSU BROCARDICI  
CAUSA FATUA EXCUSAT A DOLO.

Cause fatua definitio §. I. Fundamentum, effectus, sensus brocardici, causa fatua excusat à dolo. §. II. Prima hujus doctrine Initia. §. III. Progressus §. IV. Fundamentum. §. V. Rationes IV. §. VI. Exempla. §. VII. Ampliationes. §. VIII. IX. X. XI. Limitationes §. XII. Causa fatua ab aliquante probari debet. §. XIII. Usus Brocardici apud veteres & recentiores in primis apud Germanos. §. XIV. Varia exempla ex Carpz. Philipp. Homburg. §. XV. Tabor, Rebhan, Zillesius brocardicum nostrum rejecterunt. §. XVI. Fries communem opinionem contra Taborem defendit. §. XVII.

CAPUT. III.

EXAMEN BROCARDICI VULGARIS CAUSA FA-TUA EXCUSAT A DOLO.

Navi brocardici nostro. §. I. Causa fatua non excusat à dolo quia 1) à dolo nulla est excusatio §. II. 2) Cause excusationum debent esse justæ. §. III. 3) Causa fatua absque dole concipi vix potest. §. IV. 4) Hac sententia non convenit doctrina Ulpiani §. V. Examinatur Tiraquelli responso ad all. Ulpiani Leges. §. VI. D. Frisi Responso ad L. 5. pr. D. de Serv. corr. §. VII. & ad L. 3. §. 4. & §. 5. D. de hom. liber. exb. §. VIII. Responso ad L. 12. §. 3. D. de lib. caus. §. IX. Respondeur objectionibus Dn. Frisi. §. X. Resp. ad L. 46. §. 7. D. de furis. §. XI. Resp. ad L. 7. §. 4. D. de Juris. §. XII. Resp. ad L. 25. §. 6. D. de hered. Petri. §. XIII. Resp. ad L. 11. §. 10. D. de Interrog in jur. fac. §. XIV. Resp. ad L. 11. §. 11. D. de Interr. in jur. fac. §. XV. Resp. ad L. 71. §. 8. de acq. vel am. hered. §. XVI. Resp. ad L. 3. §. 21. & 22. de SCt. Silanian. §. XVII. Resp. ad L. 6. pr. D. de acq. vel am. possiss. §. XVIII. Resp. ad L. 1. §. ult. D. de abig. §. XIX. Resp. ad L. 2. D. ad L. Fab. de Plagiar. §. XX. Resp. ad L. 3. pr. D. ad L. Fab. de Plagiar. §. XXI. Examen nitionis i.e. §. XXII.

Resp.  
fatu-

## CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

futatio rationis 2<sup>a</sup> §. XXIII. Examen rationis tercia. §.  
XXIV. Examen rationis IV<sup>a</sup> §. XXV. Exempla  
adducta regulam nostram non illustrant. §. XXVI. An fa-  
ma publica excusat à dolo? §. XXVII. An consuetudo irra-  
tionabilis excusat à dolo? §. XXVIII. An dispensatio subre-  
ptitia excusat à dolo? §. XXIX. An credulitas excusat à  
dolo? §. XXX. An temeritas excusat à dolo? §. XXXI.  
An error juris excusat à dolo? §. XXXII. An ignorantia juris  
excusat à dolo? §. XXXIII. Examen ampliationis VIII.  
§. XXXIV. An causa fatua excusat à pena? §. XXXV.  
Examen ampliat. X, XI, & XII. §. XXXVI. Causa fa-  
tua non excusat tuorem à pena L, 7, D. Quod fals. Tutor. §.  
XXXVII. An causa fatua excusat a mala fide & fructuum  
restitutione? §. XXXVIII. Examen ampliationis XVI.  
& XVII. §. XXXIX. Examen ampliationis XII. XIX.  
XX. §. XL. An causa fatua excusat à contumacia? §. XLI.  
An causa fatua excusat à mora? §. XLII. Causa fatua non  
excusat vasallum renovationem feudi non potentem. §. XLIII.  
An causa fatua excusat à delictis? §. XLIV. Limitationes  
regule nostra subiecta eam encrvant atque absunt. §. XLV  
An causa fatua excusat in iis, quae sunt prohibita jure naturali?  
§. XLVI. An causa fatua excusat a lata culpa & dolo pre-  
sumpto? §. XLVII. An causa fatua excusat in delictis ju-  
dicialibus §. XLVIII. Causa fatua non excusat à pena  
ex propria Dd. confessione. §. XLIX. Brocardicum no-  
strum nullam habet utilitatem §. L. Praxis Brocardi-  
ci nostri est injusta §. LI. Conclusio §. LII.

## ADDENDA & EMENDANDA.

p. 3. lin. 3. leg. Maximes. p. 8. in not. lit. p. lin. 7. leg.  
έργολογιαν. p. 22. in not. litt. LL. Lin. 8. post verba Ex §. fin.  
J. de susp. Tutor. add. fabricarunt regulam. p. 23 in not. litt. KK.  
post verba L. 8. D. de accus. add. eliciunt regulam. p. 35. lin. 1.  
Leg. agendum. p. 42. lin. 17. leg. usq. p. 45. lin. 4. post verba  
in repertor. voc. add. Fama & p. 46. Lin. 19. leg. c. 60. X. de  
Appell. P. 55. lin. 7. leg. Iff. p. 59. lin. ult. leg. L. 37. §. 1. D. de  
Minor. p. 77. lin. 11. Leg. acquirenda.





**ULB Halle**  
005 611 202

3







1720 30th 9.  
Double 22

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UGURALIS JURIDICA

DE  
**FATUITATE  
BROCARDICI  
VULGARIS,  
CAUSA FATUA  
EXCUSAT A DOLO,**

Quam

IN REGIA FRIDERICIANA  
SUB PRÆSIDIO

DN. CHRISTIANI THOMASII,  
JCTI, S. REG. MAJ. BORUSS. CONSILARI<sup>I</sup> INTIMI,  
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ DIRECTORIS, PROFESSORIS  
JURIS PRIMARII, AC FACULTATIS JURIDICÆ  
PRÆSIDIS ORDINARII,

PRO LICENTIA  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA CONSEQUENDI,

AD D. XX. NOVEMBR. MDCCXX.

HORIS LOCOQUE CONSVETIS

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTET

IOANNES FRIDERICUS BIECK,  
HALA MAGDEBURGICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, LITTERIS SALFELDIANIS.